



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia  
cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione,  
Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de  
Inferno, Expositione Cantici ...**

**Massei, Giuseppe**

**AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707**

**VD18 12383155**

Infernus Apertus Hominibus Christianis ut in illum non descendant. Sive  
Considerationes de Pœnis Infernalibus propositæ Et per totius  
hebdomadæ dies distributæ Italico sermone

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47773)

# INFERNUS APERATUS

Hominibus Christianis

ut

in illum non descendant,

*Sive*

## CONSIDERATIONES

de Poenis Infernalibus

propositæ

Et per totius hebdomadæ dies distributæ

Italico sermone

*à quodam*

PATRE SOCIETATIS JESU.

*Latine redditæ*

*à*

P. MAXIMILIANO RASSLER

EJUSDEM SOCIETATIS

*Descendant in Infernum Viventes, ne descendant Morientes.*


S. Bernardus ad FF. de Monte DEI.

Sumptibus JOANNIS CASPARI BENCARD Bibliop.

Typis MATTHIÆ RIEDL Typogr.

---

MONACHII, ANNO M DCC VI.





## Interpres Lectori!

**P**AUCIS te volo , mi Lector, quia multis non possum.  
 Negat manus officium, dum mens attonita hæ-  
 ret seriâ æstimatione eorum quæ scripsit. **O**  
 Peccatum! ô Infernus! O æternitas ! Credit quòd sint  
 ista Mundus Christianus: quid tamen verè sint ista, ne-  
 scit, quia non perpendit, Mundus Christianus. Si se-  
 riò perperderet, si rectè nôsset, quàm mox alius à se eva-  
 deret ! Utinam hanc ego efficere mutationem possem,  
 & claudere os illud post tantam jam multitudinem devo-  
 ratam insatiabile ! Fortassis aliquid eam ad rem præfens  
 libellus conferet : eâ certè mente latinè à me est reddi-  
 tus. Ejúsne Author sit, qui reliquorum hoc volumine  
 operum, P. Paulus Segneri, dicere non ausim. Sic fa-  
 ma ferebat : sed inter Opera hujus Authoris Parmæ duo-  
 bus tomis edita subinde illum non reperi. Ejus certè spi-  
 ritu scriptus est, & si non ab ipso, à P. Petro tamen Pina-  
 montio, Socio Missionum ejus individuo, nisi vehemen-  
 ter fallor, in lucem datus. Lege tu illum, relege, verba

) ( 2

ejus

eius singula, singulos apices perpende: spondeo, nil  
 oberit: non rediget, quod nonnulli metuunt, ad insani-  
 am; nisi fortè sanctam illam, quæ Sapientia est apud  
 DEUM. O quàm præstat hæc legendo non peccare,  
 quàm negligendo æternum, ó æternum! perire. An  
 operæ non est, tantillâ molestiâ redimere calamitatem,  
 quâ nulla nec tempore diurnior, nec doloribus acer-  
 bior, nec omni ex parte intolerabilior potest excogitari?

Descende ergo, descende, Lector, te ipso melior  
 rediturus; ne non descendendo descendas  
 æternum non exiturus.



Intro-



## Introductio.

**I**nconsideratio, & Ignorantia, tam vultus lineamenti inter se similes sunt, ut nonnunquam una sumatur pro alia. *Inconsideratio & ignorantia equiparantur.* Axiomaticis locum apud Legisperitos obtinet. Quin ipsæ adeò Sacræ Literæ utrique eodém effectus tribuunt. Hinc illa ruina, quæ apud Jobum adscribitur Inscientiæ: *Quia nullus intelligit, in æternum peribunt;* apud Jeremiam à Spiritu Sancto adscribitur defectui considerationis, & diligentis cogitationis: *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde. 12. 1.* Mirum igitur non est, si Peccatores, etsi Fides illos doceat, esse Infernum pro iis qui peccant, peccent nihilominus perinde ac si hoc nescirent. Non enim cogitant. Obstupescibat enimverò Præsul Salvianus, nec capere poterat: *Quid cause est, ut si quispiam Christianus futura credit, futura non timeat? Si credit quæ dixit DEUS, non timeat, quæ minatur DEUS? lib. 5. de Eccles. Cath.* Magnum prodigium, ait ipse, credere æternitatem suppliciorum destinatam Iniquis, & quiescere tranquillè in iniquitate: habere pro certo quod DEUS dixit, & non timere illud, quod DEUS minatus est. Sed eni causam à S. Ambrosio manifestatam: *Nihil timeat, quia nihil vident.* Peccatores non timeat,  
A etsi

etsi credant; quia oculos clausos habent attentæ considerationi rerum futurarum, & eos unice defigunt in res præfentes: unde faciunt sicut aspides, quæ oculos habent in temporibus; licet enim videant id quod circa ipsos est, non vident tamen id, quod est ante ipsos, & eos expectat. *Nihil timent, quia nihil vident.* Aliàs quomodo fieri posset, ut cum sit Infernus in Mundo, in Mundo essent Peccatores? Ingens incendium absumit omne contagium. *Memorare novissima tua, & in aeternum non peccabis. Eccl.*

Hinc quæ ars melior claudendi abyssum pœnarum Mortuis, quàm aperire illam considerationi Vivorum? S. Catharina Senensis excessu quodam Zeli desiderabat posse se collocare magno suo impendio ad os Inferni, & illud obturare, ne ulla ampliùs Animarum à dilecto Sponso suo redemptarum in illum incideret. Ego qui tanto Zelo non ardeo, cuperem saltem opponere parvulum hunc Libellum, rogando ex intimo animi sensu DEUM, ut tantum illi virtutis tribuat, ut uni saltem alicui possit claudere immentam illam voraginem, quæ nunquam satiatur devorando. *Infernus dilatavit os suum, & aperuit os suum absque ullo termino. Isa. 5.* Et quia unus ille, quem ego præ aliis omnibus lucrari desidero, tu es, mi Lector, tibi nomine Animæ tuæ, usque adeò oblivioni à te traditæ, ego hæc folia offero, obtestans, ut tantillum quotidie mane temporis invenire cures, quo & legas, & veritates istas tuo commodo penetres. Divisi illum in tot Considerationes, quàm multi sunt hebdomadæ dies; & harum quamlibet divisi in tria puncta, ut distinctio tibi auferat tœdium, & ordo afferat claritatem.

Non credo interim, quòd unquam subire animum possit cogitatio, his in pagellis locum esse posse exaggerationi:

oni: si tamen unquam suspicio ejusmodi animum pulsaret, memineris, pœnas alterius vitæ supra naturam esse, adeoque nec comprehendi, nec explicari posse à nostra mente, & à nostra lingua; & sicut non est oculus, qui unquam viderit, aut auris, quæ unquam audiverit, aut cor, quod unquam conceperit aliquid simile illi gloriæ, quam DEUS præparavit servientibus sibi; sic nec est oculus, nec auris, nec animus; qui ita sibi repræsentare possit pœnas, ut sunt, quas DEUS paratas habet iis, qui ipsum injuriâ affecerint; eum per hos magna & divina videri debeat ejus Justitia in supplicio, sicut magna & divina videtur ejusdem Misericordia in præmio. *Altitudinem cæli, & profundum abyssi, quis dimensus est. Eccl. 1.* Bona & Mala vitæ futuræ excedunt omnem mensuram præsentis conditionis, & non minus de eorum intensione, quàm de eorum duratione, quidquid dicatur, infinities semper minus est illo quod re ipsa est. *Quidquid vis dicas de æternitate, quia quidquid dixeris, minus dicis. S. Aug. in Psal. 60.*

Potius igitur, quàm locum des tam stultæ persuasioni, quâ res hîc repræsentatas vero majores existimes, conare concipere illum timorem, qui solus nos potest reddere securos, quia *qui pavet, cavet; qui negligit, in ea incidit*; ut in hanc rem loquitur Sanctus Bernardus *Serm. ad Cleric. c. 4.* Et ad illum dignè concipiendum ante omnia paucis te commenda divino Spiritui, Virgini Sanctissimæ, & Custodi tuo Angelo: subinde stude aliquanto temporis spatio singulari animi applicatione considerare, & sensim ponderare omnia, non superficie tenus duntaxat eadem attingere: siquidem illa situla, quæ in undas non immergitur, non impletur. Quod si interdum aut malus Dæmon aliqua suggestionem, aut Socius aliquis Dæmone pe-



ior pravâ invitatione, & exemplo te aggredietur, oppone illi scuti instar veritatem manè consideratam, confestim illam revocando in memoriam. Magna illa cogitatio, quæ si Augustino fides, Ecclesiæ tot Martyres, tot Eremiti inquilinos, tot Virgines, tot Pœnitentes dedit, non sufficiet ad dandum tibi tantum virium ut contempnas momentum voluptatis ad evitandam æternitatem dolorum? Spero, si remedia alia tantarum virium non fuerunt, ut quantum opus erat, te juvarent, te isto adjutum iri: id enim nî fiat, aliud isto efficacius parare haud scirem. *Quod non sanat medicamentum, sanat ferrum; quod ferrum non sanat, sanat ignis, quod non sanat ignis, est insanabile.*

Tandem quia Oratio est medium princeps, quo divina Providentia ad nobis benefaciendum utitur; idcirco ad obtinendam istam gratiam summi prorsus momenti, evitandi damnationem æternam, assignatur pro singulis diebus certa quædam precum formula, quæ serviat ad implendum per ipsam monitum à Christo JESU Servatore nobis relictum in isto negotio. *Vigilate, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, & stare ante filium hominis. Luc. 21.* Attende tibi semper, aperiendo oculos sollicitâ consideratione, ut sis dignus fugere tantum malum, quantum est, damnari æternum;

& frui tanto bono, quantum est, æternum esse beatum.



Con-

# Consideratio I.

## Pro die Dominica.

### Carcer Inferni.

#### Angustia.

**C**ONsidera, primam injuriam, quam DEO infert Anima, esse quod abutatur libertate sibi concessa, violando in DEI oculis præcepta sibi lata, & protestando factis ipsis, quod nolit servire DEO suo: *Dixisti, non seruiam. Jer. 2.* Hinc ad puniendam & vindicandam temeritatem tam detestabilem, fabricatus est ipse DEUS carcerem aliquem subterraneum in imo Universi loco, ubi par erat eum constitui, ut quàm longissimè abesset à celo. Ibi, quamvis ipse locus satis amplus sit, damnati tamen non habebunt vel illud solatium, ac laxamentum, quo fruitur aut miser aliquis captivus, suos intra muros obambulando; aut misellus æger, suo in lecto se ex uno in aliud latus obvertendo. Siquidem *Congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, & claudentur ibi in carcere. Isa. 24. v. 22.* Hærebunt ibi compacti in unum fascem, & unus alteri impositus cumulatim tanquam victimæ infelices; & hoc tam propter multitudinem damnatorum, quibus angusta fiet ingens ceteroquin illa fossa; quàm multo magis propter ipsum ignem, qui ipsis pro compedibus erit & catenis: *Pluet super peccatores laqueos: ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum. Psal. 10.* Et præter ista DEUS non concurret cum ipsis ad ullum motum, qui sit vel tantillo refrigerio; cum nullam amplius eorum rationem

tionem habeat, perinde ac si jam in Mundo non essent. *Obliviscatur ejus misericordia. Job. 24. v. 21.* Hinc miseri illi non constricti tantum erunt, sed etiam immobiles, & idcirco si Beatorum aliquis (ut Anselmus ait in libro Similitudinum) tanti erit robotis, ut, si res posceret, totam loco movere terram posset; Reprobis vicissim quilibet tam erit debilis, ut ne dimovere quidem possit ab oculo vermiculum, qui illum roderet. Habebit igitur carcer ille muros suos, latos plus quam quatuor millia miliarium Italicorum; quanta scilicet est à superficie terræ ad Infernum distantia: si tamen ipsi crassiores non essent subtilissima papyro, tam erunt debiles captivi, ut perfringere illos, & fugâ elabi non possent: *Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores. Matth. 23.* Quæ igitur obsecro conditio erit peccatoris assueti jussa dare, assueti vivere suo arbitrio vel ingratis DEI sui, dum se videbit clausum in loco tam profundo infra pedes rerum conditarum omnium, infra pedes ipsorum Dæmonum, absque eo quod unquam per omnem æternitatem recuperaturus sit libertatem illam, quam tam caram habebat? O libertatem detestabilem, quæ definit in servitutum, quæ non habet finem! Quanto satius erat, modico tempore ferre dulce jugum præceptorum DEI, quam vivere in æternum constrictum laqueis tam formidandis!

*Tenebræ.*

- II. **C**onsidera, carcerem hunc non tantum fore angustissimum, sed etiam ultra omnem modum tenebricosum. Erit quidem ibi ignis, sed spoliatus luce, sic ut patiantur quidem oculi ex aspectu horribilissimorum spectro-

spectrorum, sed simul destituantur illo solatio & recreati-  
 one, quam afferunt fulgura in mediis terroribus atrocif-  
 simarum tempestatum: *Vox Domini intercidentis flammam  
 ignis. Psal. 18.* Verum hoc erit; quia ut affirmat S. Tho-  
 mas; *ibi erit ardor sine claritate.* Prodigio penitus diver-  
 so ab illo, quod patratum olim est in fornace Babylonica;  
 cum ibi præcepto DEI ademptus fuerit igni ardor, & re-  
 licta lux; in Inferno autem igni auferetur lux, & relin-  
 quetur ardor. Insuper cum illiusmet ignis materia sit sul-  
 fur, lucem habebit pallidam ac mœstam; & hæc ipsa  
 permixta fumo magni illius incendij, dum sursum deorsum  
 agitabitur & volvetur, implebit totum spatium vacuum  
 cavernæ illius horrendæ, & constituet procellam quan-  
 dam tenebrarum, juxta illud quod scriptum est: *Hi-  
 sunt, quibus procella tenebrarum servata est in æternum.  
 Jude 13.* Tandem ipsa multitudo corporum accumu-  
 latorum magnam partem efficiet noctis illius formidan-  
 dæ; cum propè nihil aëris ibi mansurum sit, aut alterius  
 corporis diaphani & transparentis, præter oculos damna-  
 torum, circumfessorum tenebris, & media parte cæcorum  
 (S. Th. in 4. dist. 50. q. 1. a. 3.)

Considera nunc desperationem Peccatoris hac ra-  
 tione sepulti. *Usque in æternum non videbit lumen.  
 Psal. 58.* O infelicium infelicissimum, qui per omnem  
 planè æternitatem ne tenuissimum quidem amicæ lucis  
 radium aspiciet! satis fuit nox una, ut penitus canum effi-  
 ceret miserum aliquem captivum; quos ergo effectus pro-  
 ducet in miseris illis nox, quam nulla porro dies excipiet?  
 & si inter omnes pœnas Ægypti solæ tenebræ dictæ sunt  
 horribiles; *factæ sunt tenebræ horribiles. Exodi 10. v. 22.*  
 Quod

quod nomen dabimus nos illis tenebris, quæ non triduo, sed semper durant?

*Fætor.*

III. **C**onsidera, quantum crescat calamitas illius carceris tam angusti, tam obscuri, additamento fætoris maximi? Inprimis enim confluent illuc tanquam in fentinam aliquam, omnes terræ sordes postquam ultimæ diei ignis eandem Terram penitus purgârit (*S. Th. in 4. dist. 47. q. 2. a. 2.*) Insuper fulgur ipsum, fætozem efficiet intolerabilem, dum semper in multitudine tam stupenda ardebit. Et denique corpora ipsa damnatorum exhalebunt odorem tam pestiferum, ut unum solum eorum, positum in hoc nostro Mundo, ut S. Bonaventura observat, suffecturum esset ad illum inficiendum: *De cadaveribus eorum ascendet fætor.* *Isa. 24. v. 3.* ait Propheta, vocando illorum corpora, etsi viva, Cadavera: viva enim erunt ad pœnam, quam tolerabunt; & simul erunt cadavera proptet fætozem teterrimum, quem exhalebunt. Videndum se obtulit S. Martino Dæmonum aliquis vestitus pœnâ, & redimitus coronâ, cum dicto, sum Christus. (*Sec. Sulpit. in vita*) adora me, quia dignus sum. At Sanctus cali luce collustratus, respondit: Dominus meus coronatus est spinis, & totus perfusus Sanguine: ego in novo hoc vestium genere non novi illum. Sic detectus malus genius aufugit; fætozem tamen post se reliquit tam horrendum, ut hic solus Sancto sufficeret ad agnoscendum quis ille fuerit. Si Dæmon unus tam tetrum odorem emisit, qualis erit halitus ille pestifer, quem exhalebit caverna, in qua collecta hæret multitudo Dæmonum & dam-

damnatorum omnium simul ligatorum, quin quidquam  
ejus factoris expiret? Ipse aër diu clausus, sine alio addi-  
tamento, evadit intolerabilis; judica, qualis futura sit  
sentina tam multarum, tam putidarum sordium, omnis  
expers exhalationis. Hæc est habitatio, quam sibi spon-  
te eligunt Peccatores in omne ævum, dummodo brevi  
somno infames putridæ suæ carnis libidines possint exple-  
re. Hæc sunt superba illa palatia, quæ sibi apparant suo  
fastu illi, qui contemnunt pauperes, & tanquam malè  
olentes à se abigunt. Hoc carcere permutatur ille Para-  
disus, qui nobis sanguine Filij DEI emptus tantum valet,  
quantum valet datum pro eo pretium. O permutationem  
infelicissimam! ô permutationem, quæ deplorabitur im-  
menso mari lacrymarum sine ullo fructu! *Mortuus est di-  
ves, & sepultus est in Inferno.*

## Oratio.

*Ad Patrem aeternum ad evitandum Infernum  
apertum.*

**O** Pater cælestis, Domine immensæ magnitudinis, &  
& Majestatis incomprehensibilis, quæ demum abyf-  
sus sinu suo potest continere tot pœnas, ut non sint  
minores peccatis meis: minores temeritate, quâ tibi fui  
perduellis, & volui vivere arbitrio meo? Necessè foret, ut  
illa potentia, quâ me olim extraxisti ex nihilo, & nunc  
singulis momentis conservas, à te impenderetur ad no-  
vum Infernum fabricandum, & carcerem magis horren-  
dum, ut magis responderet puniendæ meæ iniquitati. Ita  
est, fateor: sed si ego desij' esse filius tuus, tu non desisti  
mihi

B

mihi

mihi esse Pater. Ad te igitur confugio, & ex intimo corde te oro rogoque, ut placeat tibi destruere, non me peccatorem, in peccato meo, me condemnando; sed meum peccatum in me miserabili, ignoscendo mihi & liberando me à tanto malo. Hoc omnino est opus dignum te; vincere Bonitate tua malitiam meam, & tollere penitus ex Mundo magnum hoc Monstrum iniquitatis meae; aliter enim si damnabis me, ego quidem moriar, sed malitia mea vivet semper in illis flammis, quin unquam moriatur. Recordare igitur, quòd sum opus manuum tuarum, quae me effinxerunt ad imaginem tuam; serva igitur, quod tuum est. *Tuus sum ego, salvum me fac.* Si ego gratiam hanc non promereor, promeretur illam tuus ille Filius, quem mihi dedisti Servatorem. Averte vultum à culpis meis, & desige illum in ipsum: aspice in ipso merita illa infinita, quae ego tibi offero ad satisfaciendum debitis meis, & ad obtinendam tantam gratiam & auxilium, ut in æternum amplius non offendam te; sic ut tibi fideliter ad extremum usque momentum serviendo, ope divinae Misericordiae tua fiam dignus obtinere locum in caelesti Paradisi gloria, ubi cum omnibus Electis tibi benedicam, & gratias agam in secula seculorum. Amen.



Con-

## Confideratio II.

## Pro die Lunæ.

## Ignis.

*Ejus qualitas.*

**C**ONsidera, divinam Justitiam delegisse Ignem tan- I.<sup>1</sup>  
quam instrumentum aptissimum ad puniendos suos  
perduelles. Etiam inter homines majus isto suppli-  
cium excogitatum non est; unde meritò dictum est. *Tor-*  
*mentorum ultimum. Curt. l. 6.* Nihilominus non debes ti-  
bi persuadere ignem Inferni nostrati similem esse. Feli-  
ces, ut sic dicam, Animas illas miseras, si alia non senti-  
rent incendia, quàm illa, quæ nostra in terra accendi pos-  
sunt! Dives ille damnatus, cujus Evangelica historia me-  
minit, non dicit tantùm in flamma, sed *in hac flamma se*  
*cruciari*, indicans peculiarem flammæ illius tartareæ qua-  
litate. Noster ignis, hominis bono datus est, ut illo  
utatur ad opera artis, illo vitam suam sustentet: at ignis  
infernalis conditus est ad vindictam impiorum. *Vindicta*  
*carnis impij ignis. Eccl. 7. v. 19.* Noster ignis sæpe con-  
junctus est cum materia extranea, & parum respondente  
virtuti illius activæ, unde est instar gladij in vagina. At II  
ignis Inferni erit instar gladij è vaginâ extracti, cum sit ac-  
census in materia sulfurea & bituminosa quæ semper arde-  
bit violentiâ quadam inexplicabili, haud aliter ac in ful-  
minibus accidit, quæ tantâ vi feruntur, impetû exhalati-  
onis illius inflammata: *Pars illorum erit in stagno ardenti*  
*igne & sulfure. Apoc. 21.* Tandem ignis noster absorbit



id, quod adurit; unde quò est vehementior, tanto est brevior. At ignis ille, in quo semper ardebunt damnati, uret & non consumet; unde à Christo comparatur sali: *Omnes enim igne salientur. Marc. 9. v. 48.* Cruciando enim ardoribus non explicabilibus tanquam flamma, impedit tamen ne corrumpantur damnati, tanquam Sal. Unde si unica ignis nostri scintilla horrorem nobis incutit, si vel brevissimo temporis spatio ferre non possumus flammulam unius candelæ, quomodo manere poterimus æternùm sepulti in incendio supra omnem fidem atroci & violento? O tu, qui propter peccata postremùm admittis, & nondum dolore serio expiata, fide certus es, quòd hoc momento moriens præceps rueres in illam horrendam fornacem, quomodo tandem audebis libellum hunc ante è manibus ponere, quàm ex intimo corde admissarum noxarum te pœniteat? quomodo tantum tibi audaciæ est, ut vel momentum unicum, ne dicam menses totos, hærerè velis in statu obnoxij supplicij Inferni? quomodo ridere potes, quomodo quietem securus capere? *Potes hoc sub casu ducere somnos?*

*Quantitas.*

- II. **C**onsidera, quantam vim habiturus sit ille ignis propter suam quantitatem. Cùm enim carcer ille infernalis continere debeat omnia damnatorum corpora quin vel unum penetretur cum altero, necesse est ut sit fossa, quæ plura milliaria in suo ambitu, & secundùm omnem suam dimensionem complectatur, si innumerabilem ibi clausorum captivorum multitudinem attendamus. *Infernus dilatavit Animam suam, & aperuit os suum absque*

absque ullo termino. *Isa. 5. v. 14.* Tota porro ista ingens specus plena debet esse igne: & si vel ipsæ paleæ, cum ingens earum cumulus, congeritur, sufficiunt ad fornaces calefaciendas, quid fiet sulfure illo accenso, quod tam vehemens est suâ qualitate, & suâ mole tam vastum? Insuper ignis iste erit ibi clausus, quin effundi possit; unde omnes flammæ eius repercussione intendentur, & idcirco vi pollebunt incredibili. Quis jam ambigere potest, quin si mons integer in illud caderet incendium, mox ceræ instar liquesceret? Ita falsus est Dæmonum aliquis Militi id ex eo quærenti (*Cæsarius apud Collect. dist. 6. ex 89.*) & absque isto testimonio suppetit nobis assertio irrefragabilis Spiritus Sancti, qui certos nos reddit, appellando flammam illam devoratricem montium: *Flamma comburens montes. Psal. 82.* Et tamen Peccatores pro eo quòd cohorrescant, ludunt circa illos ignes, perinde ac si essent ignes oblectandis oculis animisque accensi. *Licet ignis ille estuet, & fluvius flammâ accendatur, nos tamen videmus, & delicias amplectimur.* Ait attonitus S. Joann Chryostomus *Hom. 55. ad Pop.* An fortassis corpus vobis saxeam, aut durissimo metallo conflatum est? *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea aenea est. Job. 7.* Potestis dicere cum Jobo: Si tamen etiam tali essetis conflati, momento in illis ardoribus colliquefceretis, in quibus vobis habitandum erit semper, nisi ex animo detestemini, & corrigatis vitam peruersam. Verum tamen est, quòd parum dixerim, cum dixi, habitandum vobis semper in illo igne: debebam potius dicere, quòd vos, & ego, nisi timeamus & amemus DEUM nostrum, futuri simus quodammodo torus ignis. Flamma siquidem illa tam viva, tam latè sparsa, non fortis tantum nos affliget, ut nunc in terra contingit, sed in

ima penetrabit ossa, & medullas, & intimam nostram substantiam: *Pones eos ut clibanum ignis.* Ait Sacer Vates *Psal. 20.* Erit Damnatorum quilibet tanquam furnus ardens, qui flammam suam intra se, & in sinu suo habet: unde bulliet sanguis ille impurus intra suas venas, cerebrum in suo cranio, cor intra suum pectus, viscera intra corpus illud infelix, quod undique cinctum abyssis flammarum exitum non inveniet. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante?* Ita *Isaias* interrogat, *cap. 33.* Quis ex vobis poterit habitare cum igne, qui nos devorabit, hoc est, convertet nos quodammodo in se, efficiendo nos totos vivum quoddam incendium? Respondeamus: sed non ante quam rem omnem seridè perpenderit.

*Ejus Elevatio.*

III. **C**ONSIDERA, omne quod dictum est de vi, quam obtinebit ignis infernalis, tam qualitate, quam quantitate sua nihil esse in comparatione illius vis, quam acquireret tanquam instrumentum *Justitiæ* divinæ, quæ illum attollet ultra omnem vim naturalem ad effectus omnino stupendos. *Descendit ignis à DEO de celo. Apoc. 10.* Ignis infernalis hujus conditionis erit; originem suam habebit ad pedem throni divini, hoc est, accipiet ab ejus omnipotentia vigorem quendam incredibilem, operando non juxta propriam suam activitatem, sed tanquam instrumentum cum activitate & virtute sui Agentis, qui flammis illis tantam vim tribuet, quantum existimabit convenire ad vindicandas suas injurias, & reparandas jacturas suæ gloriæ. *Creatura enim tibi factori deserviens exardescit in tormentam adversus injustos. Sap. 10. v. 24.* Quod si ignis est gla-

est gladius, qui cadens suo pondere plagam in hac vita tam magnam infligit, quantam infliget in Inferno vibratus brachio omnipotente? *Si acvero ut fulgur gladium meum? Deut. 32. v. 41.* Hinc etiam est, quod, etsi corporeus, urat non solum corpus, sed & animam; sicut enim DEUS utitur aquâ materiali in lavacro Baptismi ad lavandum non solum corpus, sed mundandam etiam animam, & sanctificandam, ita utitur etiam igne, licet materiato, in Inferno, ad puniendam illam immundam & peccatricem. Est igitur incendium infernale effectus omnipotentiae divinae contemptae à Peccatoribus, & signum visibile odij illius infiniti, quod Bonitas divina suo sinu continet adversus peccatum: est inventio quaedam Sapientiae divinae ad recuperandum honorem sibi ab Impiis ablatum; & idcirco quis explicare poterit, quousque progressura sint illa tormenta, quae erunt ictus respondens brachio Altissimi, & inventio digna ejus mente? *Quis novit potestatem irae tuae? Psal. 99.* Cum nos pertingere non possimus ad concipiendam animo illud, quod omnem vim naturae superat, quomodo poterimus pertingere ad illud explicandum? idcirco care mi Lector, *Miserere anima tuae. Eccl. 30. v. 22.* Et si hujus rationem nullam habes, saltem tangat te miseratio ipsius corporis tui, pro quo tam es sollicitus omni tempore, Perpende quam caro tibi constituta sint voluptates illae vitatae, quas tamen indulges carni tuae, quantavis repugnante divinâ Lege. Aspice accensam jam fornacem illam sempiternam: jam nunc flatus irae DEI servit illi pro folle ad augendam sine modo ac mensura vim flammaram illius: jam ardent in illa tam multi propter minora delicta quam sint tua. Non est idcirco hoc tempus accumulandi novis peccatis novam illis augendis materiem, sed illas se-

las seria penituntine & lacrymis extinguendi. *Tempus flendi: Eccl. 3. Va vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Luc. 6. v. 25.*

### Oratio.

*Ad æternum Verbum, ut nos liberet ab Inferno.*

**O** Fili DEI, qui miseratione malorum nostrorum factus es filius hominis, en ovem illam perditam, quam tu Pastor bonus quæstivisti tot laboribus, emisti tam copioso sanguine: hanc tu nunc perire sines, quin aliquam ejus habeas rationem? Non ita sit ò Domine. Tolle potius illam in humeros tuos, & ostende toti cælo fructum laborum tuorum, & pretium divinæ vitæ tuæ. Si salutem mihi conferes, lætabuntur Beati omnes, omnes Angeli te laudabunt, & ego per omnem æternitatem cum ipsis misericordias tuas cantabo. Age igitur bone JESU, miserere mei & libera animam meam à faucibus Leonis istius infernalis, qui ad ignominiam tuam me cuperet devorare. *Libera me de ore Leonis.* Verum est, quòd ego te non habuerim pro DEO illo magno, qui re vera es; cum toties præhabuerim belluinum aliquod desiderium meum divinæ tuæ voluntati: sed doleo ex animo, & detestor hæc omnia, retracto illa, & nulla esse jubeo; solum quia tu es summum bonum meum, & quia te amo, & volo te amare super omnia, sicut meretur infinita tua perfectio, desiderans simul etiam majorem dolorem, quam habeam, ad reparandam hoc actu gloriam, quam tibi noxis meis abstuli. Illa igitur Misericordia, quæ te impulit ingenti amore ad suspendendam vindictam, dum admisi  
ipsum

ipsum peccatum, hæc etiam nunc te inducat ad mihi penitus ignoscendum, dum ante te me abjicio. Accipio hanc animam, & illam repono in divinis tuis manibus. *In manus tuas Domine commendo spiritum meum.* A manibus DEI vivi, quibus excidere merui, provoco ad manus DEI in Crucem acti, & pro me mortui: istæ me judicent, istæ de me sententiam ferant, hic manere fixum est, ubi tu tanto amore salutem meam descripsisti ad gaudendum hoc fructu per omnem æternitatem. Amen.



### Confideratio III.

#### Pro die Martis,

#### Societas.

#### Damnationum.

**C**ONsidera ingens tormentum, quod habitationi infernali adjungent habitatores. Vivere cum socio perverso res est usque adeo molesta, ut ipsæ adeo plantæ fixæ in terra ab ea videantur abhorrere, dum recedunt & fugiunt quantum possunt à plantis aliis sibi contrariis. Certum est, quòd Spiritus Sanctus nos securos reddat; tolerabilius esse, vivere cum miseris in deserto, quàm vivere cum muliere rixosa & iracunda. *Melius est habitare in terra deserta, quàm cum muliere rixosa & iracunda. Prov. 21. v. 19.* Miser aliquis maritus, qui non audit domi suæ nisi clamores, & lamentationes, sub vesperum invitissimus

mus domum revertitur, & horas annos putat, donec iterum domo prodire liceat. Cogita nunc tu, quam molestum futurum sit, vivere perpetuo cum Damnatis, quando cum uno solo illorum vivere, non dicam in Inferno, sed in ipso adeo Cælo, futura esset poena intolerabilis. Si que in Cælo omnes pleni sunt caritate, & se non magis quam alios amant, sic in Inferno omnes pleni erunt odio, & mutuo sibi volent pessimè, inimicitia ejus generis, quæ in æternum non possit mutari pace ac concordia: cum enim ibi leges omnes turbatae sint, & omnis exulet ratio, non erit ibi nec sanguis, nec cognatio, nec patria, nec vinculum, nec ullum argumenti genus, quod mitigare valeat rabiem illam desperatam. *Spinae congregatae igne comburentur. Isa. 33.* Simul erunt tanquam spinæ, quæ se mutuo pungent, se lacerabunt, & nemo non alteri ingens erit tormentum. Quam irascitur æger illi, qui opem licet rogatus, ferre recusat? quam furit laborans podagrâ, cum nullâ curâ & cautelâ tractatur?

Et tamen hæc umbra duntaxat est desperationis miserorum illorum qui invicem erunt & sibi, & aliis molestissimo oneri. Soli clamores & ejulatus, quibus implebunt omnia, sufficient ad eos intolerabiles efficiendos. Mater aliqua quæ tota nocte plorantem & ejulantem audit parvulum filiolum, ferre illum non potest, & licet illum non minus quam se ipsam amet, irascitur, & mala illi precatur. Quales jam imprecationes, quæ furia erunt Re-probi alicujus inter tot lamenta, inter tot planctus & ululatus, non dicam jam cari filij, sed multitudinis inimicæ, innumerabilis, nec spatio unius tantum noctis paucarum horarum, sed spatio noctis sempiternæ? Et tamen est inter Christianos nonnemo tam insanus, qui putet se solatii ali-

quid

quid inventurum in illo barathro pœnarum ex eo, quòd non solus, sed cum multis illas sit toleraturus? Si ad Infernum detrudat, ajunt, non ero ibi solus. O infani! ô infani! quòd plura congeruntur in fornace ligna, an non ardor tanto augetur & creseit amplius? *Ex damnatorum multitudi-  
titudine pœna singulorum augetur*: doctrina est S. Thomæ. *in 4. dist. 50. q. 2. a. 1.* Quanto plures erunt, tanto patientur amplius, cum sua quilibet tormenta reflectat in alterum, dolor cujuslibet dolorem alterius reddat graviorem, & miseria unius alterius miseriam geminet. Infelici alicui molesti sunt ipsi, aded vultus carissimorum quorumlibet, & nauseam creant dulcissima illi consolando prolata verba. Et tu mitigationem speras ex consortio & aspectu hostium tuorum infensissimorum?

## Dæmonum.

**C**onsidera, acerbiorē adhuc futuram Societatem malorum Dæmonum, tanquam eorum, qui non inimici tantum, sed carnifices etiam sunt, & ministri Justitiæ divinæ. Isti duplici ratione affligent damnatos, aspectu, & exprobrationibus. Aspectus alicujus Dæmonis usque aded horribilis est, ut S. Franciscus, cum unum eorum aliquem vidisset, socio suo Egidio sit confessus, absque eo quòd DEUS vires alicui præter ordinem conferat, ne per pauca quidem momenta monstralis aspectum ferri posse, quin ille ipsâ morte stet. *Chron. p. 2. l. 1. p. 4. tit. 14. cap. 5.* S. Antonius in Summa sua, de Decalog. tract. 1. c. 28. narrat de Religioso aliquo, quòd cum Dæmonem vidisset, dixerit, malle se ingredi in fornacem ardentem, quàm denuo eundem, aut alium videre. Sancta



Catharina Senensis istud præterea cum Christo loquens affirmabat, quòd potius quàm denuo aspiceret horribilem ejusmodi averni formam, parata sit ambulare per viam totam igneam usque ad extremum Mundi diem. Juxta has assertiones sufficeret unicum istorum monstrorum ad formandum & constituendum integrum Infernum: & tamen erunt ibi tanto numero, ut propè infinita videantur. *Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est*, aiebat Job. 10. v. 10. in persona Peccatoris, trepidantis ad solum aspectum spectrorum tam deformium. Quid jam erit, quando aspectui jungentur irrisiones & opprobria? Incidisti tu quoque in casses nostros, dicent maligni illi ad quemvis istorum infelicium: disce nunc fidere proditoribus: Insane, vinculis constringende, poteras obtinere salutem re tantillâ, restituendo quod tuum non erat; abrumpendo pravum illud consortium; agendo modicam pœnitentiam: & tamen noluisti. Quem accusare potes ut exitij tui causam? si solus illa fuisti. Maledic jam & morere; sed morere quin unquam vivere desinas, & patere absque ullo fine. Lusor, amissâ omni pecuniâ, omni jacturâ molestus fert opprobria suam ipsi infelicitatem exprobrantis; læcerat tum pagellas lusorias, evertit mensam, fremit, furit, & non timet ipsam adeò vitam ad vindictam sumendam exponere discrimini. Damnati in rabiem quidem agi poterunt, & vindictæ cupiditate accendi, vires autem se vindicandi nullas habebunt. Ringantur licet, necesse erit audire, videre, pati, quin iram in alium exerant. Interim quæ vita erit ista mille mortibus deterior? vivere semper inter hostes tam horribiles, inter Carnifices tam crudeles? Ecclesia permittit ut separentur à cohabitatione conjuges,

juges, quando inter eos nascitur inimicitia & feritas non ordinaria, miserando infelicem ejus conditionem, qui cum socio inimico vivere cogitur. Utinam in loco illo infelici miseratio ejusmodi locum & ipsa habere posset, sic, ut si patiuntur miseri, paterentur soli, & ferrent secum Infernum suum in aliquem terræ angulum, tanquam caveam igneam, unis ipsis destinatam! Sed nihil spei superest ad obtinendum hoc bonum: *Peccator videbit, & irascetur; dentibus suis fremet & tabescet; videbit turpitudinem suorum carnificum, audiet injurias, fremet rabie, & sine ullo fructu tabescet: Desideriam peccatorum peribit.*

*Complicum in peccato.*

**C**onsidera, supra omnem fidem fore cruciabilem societatem Complicum in delicto; cum æquum omnino sit, ut fiat instrumentum summi cruciatus ad satisfaciendum divinæ Justitiæ, quisquis Peccatori fuit minister detestandæ voluptatis ad eandem offendendam. Idcirco furæ omnium crudelissimæ in illa abyssu erunt procul dubio Amici illi & Amicæ, quorum causâ quis tergum DEO obvertit. Tunc verum fiet id, quod minatus est Josue, ut omni illi, quicumque amicas vellet creaturas, in præjudicium amoris debiti ipsi Conditori, illæmet evadant sudes in oculis: *Sint sudes in oculis vestris. Job. 23. v. 13.* Cruciando reos aspectu, & memoriâ, supra omnem aliam quamlibet sævam carnificinam. Quis sibi satis imaginabitur maledictiones, blasphemias, execrationes, quas alius in alium conjiciet, dum se invicem devorare cuperent?

Unus-

*Unusquisque carnem brachij sui vorabit : Manasses Ephraim, & Ephraim Manassem; simul ipsi contra Judam. Isa. 9. v. 20.*

Care mi Lector, DEUS avertat, ne unquam cadas in illud profundum, ut pro me, & te vehementer etiam atque etiam precor. Scias tamen velim jam nunc, si unquam pessima sorte tua eò casurus esses, nullum fore Dæmonem, qui tantum te torqueat, quantum tortura est persona illa tam perditè amata. Vultus ille, quem tu nunc Paradisum appellas, tam tibi teter videbitur, ut ejus respectu ipse tibi Lucifer pulcher videatur. Illi oculi, quos tu nunc tam stultè vocitas tua sidera, sagittæ tunc erunt omni fulmine acutiores. Crines illi, qui merum tibi aurum videntur, mutabuntur in viperas crudeliores omni Dracone: verbo, habebis in illa armamentarium integrum pœnarum, Infernum æqualem, aut etiam deteriorem Inferno reliquo, dum momento quolibet perpendes, pro quantillo putridæ carnis jacturam feceris pulcherrimi vultus divini; pro quantillo bono te obnoxium reddideris æternæ calamitati. Principium nonnemo victus in bello & captus, cùm videret subditum quendam suum æmulum & victorem, aut tollite hunc, ajebat ad circumstantes, aut miserati meam fortem occidite me. Prò miser Peccator! quam mortem non volens ac lubens subires, ut ex oculis tibi tolleretur illa, quam tu Ethnici potius, quàm Poëtæ phrasi, Deam tuam appellabas! Jucundum tibi esset sepeliri in barathro profundissimo; lenimen dolorum tuorum crederes habitare cum draconibus, & societatem ipsorum censeris jucundam. Sed non est malo remedium: maledicere potes illi furia, illam detestari & execrari, ab ejus confortio separare te non potes. Interim quid tibi de habitatione ista videtur? Parricidis olim hoc erat decretum  
suppli-

supplicium, ut culeo insuti cum Serpente, Gallo, & Simia in mare abjicerentur. Sed ô mitia Legislatorum humanorum ingenia! non satis intelligunt pœnarum naturam. Aliam societatem invenit Justitia divina ad puniendos suos reos; locum plenum Carnificibus, & supplicio affectis; plenum odio & insultationibus, in medio maris ignei, quod & littore, & fundo caret! Et tamen invenire est, qui talem locum pro domo suo æterna eligant, & ut eligant, contemnunt pulchram illam Jerusalem cœlestem. *Lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi intrant per eam. Matth. 7. v. 13.* Non vi eò raptantur nolentes; ipsi volentes suis eò pedibus proficiscuntur.

## Oratio.

*Ad Spiritum Sanctum ad evitandam Damnationem.*

**O** Spiritus Sanctissime, qui cum Patre & Filio unus solus DEUS es; adoro te ex abyssu mei nihili, & demissimè tibi in memoriam revoco, quòd sine gratia tua, ne quidem cogitare quidquam possem, quod conferat ad meam salutem. *Sine tuo Numine, nihil est in homine, nihil est innoxium.* Quomodo igitur sine ope tua superare potero discrimen omnium maximum, cui obnoxius sum æternum pereundi propter tot peccata mea? Ah Domine, ad te pertinet subvenire debilitati meæ, & est gloria tua, triumphare in me de tuis, & meis inimicis me salvando. An non tu es Spiritus ille Paraclitus & Consolator? quomodo igitur me fines incidere in æternam miseriam? Tu qui es sustentator meus, tu qui ex ventre matris meæ me acceptasti ut tuum, nunc occludes precibus meis aures tuas?

& non

& non sustinebis eum qui te uno nititur? non ita fiat unquam: Ego in te spero, & scio quia non confundar; dum exspecto, ut glorificem misericordiam tuam cum Sanctis tuis in celo, etsi toties promeritus sum experiri rigorem Justitiæ tuæ cum aliis Reprobis in Inferno. Et quia par non est, ut mei unius memor sim, rogo te etiam pro omnibus Christianis fratribus meis, & tibi non minus omnes Peccatores, quam Animam meam commendo. Claude obsecro gratiã tuã abyssum illam, quam ipsi culpis suis semper magis dilatant: illumina mentes eorum, ut cognoscant, quò tandem ducat perversa vita ipsorum: & da illis robur ita sese emendandi, ut servientes tibi in hac vita mereantur semper te frui in beata æternitate. Amen.



## Consideratio IV.

### Pro die Mercurij.

#### De Poena Damni.

#### *Jactura infinita.*

- I. **C**onsidera ingentem jacturam, quam facit Anima damnata, amittendo DEUM pro omni ævo, & cum ipso amittendo omnia illa gaudia, quæ sperare poterat ex possessione ejus. Quis unquam dignè explicabit, quid sit, in æternum privatum esse summo Bono? Discere de hoc possumus, quod S. Augustinus dixit de Beatitudine: *Acquiri potest, estimari non potest.* Ita è diverso etiam

etiam pœna Damni sentiri potest, explicari non potest, non à Reprobis modò, sed ne à Beatis quidem. Hæc pœna re ipsa est Infernus ipsius Inferni, & in ipsa consistit essentia Damnationis, ut S. Thomas docet. *Damnatio ultima consistit in hoc, quòd intellectus hominis totaliter divino lumine privetur, & affectus à divina Bonitate obstinatè averatur. Opusc. 2. c. 147.* Estque idcirco pœna infinita, sic ut si millies ac millies duplicaretur incendium ignis illius devorantis, tormentum tamen istud nunquam æquarer. *Si mille quis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale à beata illius gloria honore repelli. Chrys. hom. 24. in c. 7. Matth.* Eâ omnino ratione, quâ si millies millièsque geminarentur omnia alia cœlestis patriæ oblectamenta, nullo modo æquarent illud gaudium, quod in DEO facie ad faciem videndo consistit. Idcirco sicut DEUS non est bonum, quod nos mente complecti possimus, sed bonum omni nostra cogitatione infinities majus, ita malum amissionis DEI non est ejusmodi, quod concipere in hac mortali vita possimus, sed omni nostra cognitione infinities majus: malum, cujus author proximus DEUS ipse est; malum, ut sic dicam, ordinis divini, malum quod DEUS per modum pœnæ ipse constituit. *Est & turpium pœna DEUS*, ait S. Bernardus *l. 5. de Consid. c. 32.* Quo vult indicare; quòd sicut DEUS est suprema Beatitudo Electorum in cælo, ita sit futurus suprema pœna Damnatorum in abyssu. Tunc fiet illud terribile divortium, tunc stabilietur æterna illa inimicitia, perpetua illa oppositio inter creaturam & Creatorem. *Vos non populus meus, & ego non ero vester. Os. 2.* Creatura non erit amplius Creatoris, quantum ad participandum ab eo ullum genus solatij: Creator non erit amplius creaturæ, quantum ad accipiendum ab eo

D

ullum

ullum genus protectionis. Creatura odio habebit, detestabitur, execrabitur DEUM in æternum, quin ab eo possit recedere: & Creator abhorrebit, abjiciet à sese æternam creaturam, semper tamen illi conjunctus ad eam cruciandam & puniendam. O separationem! ô conjunctionem! utramque sine comparatione doloriferam: & tamen non timent Peccatores! Officium Judicis Leges appellant, *Authoritatis formidabile ministerium; apud Cresol. in Mystog.* quia octo genera pœnarum contra Reos decernere potest; & non timetur ille DEUS, qui postquam sceleratis innumerabiles pœnas decrevit, se ipsum facit eorundem supplicium. *Quis non timebit te, ô Rex gentium? Jer. 10. v. 7.*

*Factura summi doloris.*

- I. **C**onsidera, Peccatores nunc parvi facere istam summi Boni jacturam; cum enim omnia sensibus metiri consueverint, non capiunt illud malum, quod sensibus non percipitur. Præterquam quod cum ipsis volupe sit vivere procul à DEO, non intelligunt, quodnam tormentum sit, æternum esse ab eo separatum. Sed in hoc suo judicio, ut in multis aliis, planè se stultos demonstrant. In hac siquidem vita non habemus, nisi cognitionem valde obscuram infinitæ felicitatis, quæ est, frui DEO: cum Dammati è diverso habituri sint pro suo tormento apprehensionem vivacissimam tanti boni; & cum semper iis obversaturum sit, quod suâ culpâ illud perdidierint, rabie & desperatione confumentur. Falco quamdiu prædam non videt, non se movet: at ubi eam viderit, ô quanto se impetu vibrat, & conatur rumpere vincula, quibus impeditur,

tur, quo minùs illam assequatur! Præterea hac in vita Anima corporis mole premitur, in eaque detinetur tanquam ignis sub cinere in statu naturali. At expedita membris, tanquam ignis in cuniculo incensus, est in statu violento; & idcirco sicut ille strages & ruinas edit, ut erumpat ex suo illo carcere, sic ista ad jungendum se suo centro, quod est DEUS, *DEUS cordis mei.* Et quia eodem ipso tempore à DEO repellitur tanquam indigna, explicari non potest, quantum illa in se dolorem experiatur, coacta perpetuò hæ-  
 rere extra suum locum. Os aliquod extra suam juncturam cruciarum affert non explicabilem: cogita igitur omnia illa ducenta & plura ossa, quibus humani corporis moles firmatur, loco suo mota esse: quis explicet, quantum ea res corpori molestiæ afferat? Et tamen hoc non nisi somnium est in comparatione afflictionis, quam sentit Anima ex eo, quòd sit procul à suo fine, qui est DEUS: quanto enim superior corpore est anima, tanto necesse est ejus dolores, corporis doloribus esse acerbiores. Quodsi dolor effectus est divisionis, certum est, quanto arctior erat conjunctio, tanto etiam acerbior fore separationem: cum ergo motus animæ ad DEUM, in quantum hic est suprema felicitas Animæ rationalis (*S. Th. 1.2. q. 9. a. 4. ad 2.*) sit motus naturalis, necessariò consequens est, ab illo, ad quod toto naturæ suæ pondere & impetu fertur, & contrariâ vi, & pro omni tempore separari, futurum tormentum omni comparatione majùs, & duplici ratione infinitum; & propter bonum, quo privat, quod est divinum, & propter tempus, quo pergit eam privare, quod est æternum. Quid dicet proinde infelix Peccator cum audire contigerit fulmen illud horrendum fatalis sententiæ? *Discede à me maledicte in ignem æternum.* Discede maledicte



per omne ævum à me DEO tuo, ut habites cum inimicis tuis in igne sempiterno. Scimus non semel Matrem redactam in servitutem, dum à filio suo avulsa est, sororem dum à sorore, doloris vehementiâ mortuas concidisse; quam ergo mortem sentiet Anima avulsa à DEO per omnem æternitatem? Sentiet mortem, non illam quæ est finis omnium dolorum; sed illam, quæ est initium dolorum, qui durabunt in æternum.

*Debita Peccato.*

III. **C**onsidera, hanc amarissimam separationem, hanc iacturam infinitam peccato justè esse debitam; cum ipsa iterum in Universo redigat in ordinem, quod culpa perturbaverat. In peccato siquidem duplex malitia intervenit; una est; tergum obvertere Bono increato, nihili ducendo divinam ejus voluntatem, & parvipendendo divinam amicitiam. Altera est, vultum obvertere bono creato; in illo reponendo suum finem, & suam quietem. *Duo mala fecit populus meus, ait Dominus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, ecce aversionem à DEO, foderunt sibi cisternas dissipatas. Jer. 2. v. 13.* En conversionem ad creaturam; & in hac duplici malitia consistit malum culpæ lethalis. Utrique huic ordinis perturbationi medetur divina Justitia in Inferno, ubi conversionem ad creaturam punit operâ ipsarum creaturarum; hoc est, operâ ignis, tenebrarum, fœtoris, carceris, Dæmonum, poenâ sensûs; & punit aversionem à DEO, privando ipso DEO per poenam Damni. Ex quo consequens est, quòd, cum sine comparatione major sit prima malitia aversionis à summo Bono, quàm sit secunda, quarentis suam voluptatem in  
repus

rebus vetitis, necessariò etiam pœna Damni, quæ respondet primæ malitiæ, absque comparatione major sit pœnâ sensûs, quæ respondet secundæ. Quin imò consequens est, ut cum aversio à DEO sit injuria quodammodo infinita illata Creatori, pœna quoque Damni illi debita sit quodammodo infinita miseria creaturæ perduellis & damnatæ. Et quia creatura secundum naturam suam capax non est tantæ pœnæ, quantam meretur hæc injuria DEO per aversionem ab ipso illata, idcirco divina Justitia suâ virtute supplebit, efficiendo, ut mens Damnati vivacissimè apprehendat malum suum, quod semper illi obversetur, quia vel ad momentum aliò possit se avertere. *Evigilabunt in opprobrium, ut videant semper. Dan. 12.* Adjuvando hanc cognitionem infelicissimam, ut summè miseri sint, lumine quodam pœnali, haud aliter ac lumine quodam gloriæ idemmet DEUS adjuvat mentes Beatorum in cælo, ut summè felices evadant. Et hoc nititur diversitas pœnæ, quam sentient Peccatores ex amisso DEO. Nam etsi illum omnes æqualiter perdituri sint, nihilominus illi, qui plurimam culparum rei sunt, pluribus etiam capitibus illo privati manebunt; facièrque divina Justitia, ut ipsi tanto magis & melius hanc privationem cognoscant, & tanto acerbiorum cruciatum experiantur. Hinc observo, quàm penitus insaniant, qui dum culpas culpis cumulant, se subinde solantur liberè pronuntiando: Perinde est damnari ob unam, quàm ob centum noxas admittas. Infelices! Ita vestri misereatur DEUS, ne præcipites in illam abyssum abeatis; quàm bellè, si secus accidat, observabitis vestro malo inter utrosque discrimen. Qui ob unum peccatum admittitur damnatur, unum Infernum patitur tam pœnæ sensûs, quàm pœnæ damni, respondentium illi culpæ; qui ob cen-

tum peccata damnatur, totidem quasi Infernos patitur, pœnâ utriusque generis respondente mensuræ peccatorum, & perinde habet, ac si tot vicibus damnatus esset, quot sunt tituli, ob quos est damnatus. Si igitur nos discrimen facimus inter eos, qui sanguinem mittunt ex eo quòd scalpello obruiore aut acutiore aperta sit vena, quòd manu chirurgi aut leuiore, aut grauiore vulnerati sint, qui tandem fieri potest, ut eò veniamus insanix, ut non discernamus inter unam alteramque æternitatem pœnarum, quas excogitavit Sapiencia DEI irati suo inimico? Non miror equidem si plus quàm trecenties Sacer Codex Peccatores stultos appellat: digni enim sunt tali nomenclaturâ: & si stulti alij funibus ligantur, ipsi catenis constringendi essent.


## Oratio.

*Ad JESUM Christum pro Salute consequenda.*

**C**Hriste JESU Servator mi, qui infinitæ misericordix tuæ excessu factus es Advocatus meus apud Patrem cælestem, quid aliud ego iustius à te petere possum, quàm rogare te ut defendas causam tuam? *Judica causam tuam.* Causa reuera mea est, quia agitur de æterna mea salute: sed tua etiam est, quia agitur de gloria tua: tunc enim plenè Servator meus es, quando re ipsa salus mihi obtingit. *Ipsè erit Salvator meus. Job. 13. v. 16.* Fuit enim vero excessus miserationis infinitæ, impendio sanguinis tui liberâsse me de profundo, in quod me præcipitârunt peccata mea: quid tamen mihi proderit, si ego elapsus manibus tuis in eandem abyssum præceps ruam? *Qua utilitas in sanguine tuo, dum descendo in corruptionem?* Penes te facultas

cultas est facienda ne peream, cum in divinis manibus tuis positæ sint fortes meæ: *In manibus tuis fortes meæ.* Si proinde claudere vis supplicibus precibus meis aures tuas, necesse erit, ut pro me mutes amabilissimum illud nomen JESU, spei ac dulcedinis plenissimum; necesse erit, delere pro me promissiones illas, quibus spondidisti, quod velis esse vita mea. Age igitur, JESU esto mihi JESUS & salva me; plus mihi promeritus es boni morte ac cruciatibus tuis, quam ego sim meritis mali iniquitatibus meis: æquum proinde non est, ut plus valeat debitum meum ad me condemnandum, quam solutio tam copiosa & abundans ad me salvandum. Igitur amabilissime Redemptor mi, monstra Patri tuo vulnera tua, quæ eum in finem retinisti in corpore tuo glorioso: roga pro me illam misericordiam, quæ tibi omni jure debetur, ut tuis meritis locupletatus veniam ad gaudendum tecum in æternum fructu laborum tuorum.

Amen.



## Consideratio V.

Pro die Jovis.

Vermis Conscientiæ.

*Memoria oblectamentorum præteritorum.*

**C**onsidera, quod sicut in cadaveribus ex putredine nascuntur vermes, ita ex corruptione peccati nascatur in Damnatis remorsus quidam perpetuus, qui vocatur

catur Vermis conscientiae, quia rabido quodam despectu  
 cor illis rodet sine ulla cessatione. *Vermis eorum non morietur.* Marc. 9. Quae sunt verba Christi, tertium repetita in  
 eodem sermone, ut poenae hujus acerbitatem inde colligamus.  
 Sanctorum sensus est, hac quoque in vita non esse  
 carnificem Peccatoris atrociorē, quā Conscientiam. *Ipse est poena sua*, inquit S. Augustinus, *quem torquet conscientia sua*; In Psal. 36. & S. Gregorius; *Inter innumerabiles afflictionum molestias nulla est major afflictio, quā conscientia delictorum.* In Psal. 143. Sed si rem dicere volumus, nunc conscientia potius fungitur munere satellitis, evocantis Peccatorem ad Tribunal divinum, quā munere Carnificis torquentis. Hoc ejus officium erit in Inferno; postquam enim anima erit condemnata sententiā irrevocabili, divinus Judex *tradet eam tortori*; in manus inquam tortoris istius, qui per omnem aeternitatem quietis partem illi nullam relinquet. Iste porro vermis, omni aspide ferocior, tres cordi Dammati plagas infliget, quae tribus explicari possunt verbis Innocentij III. Pontificis in suo libro de contemptu Mundi: *Affliget memoria, fera turbabit poenitentia, torquet angustia.* cap. 1. Affliget memoriā oblectamentorum praeteritorum: fera poenitentiam peccatorum admissorum; & angustiam bonarum occasionum neglectarum. Et primò quidem *affliget memoria*. Magnum est tormentum infelici meminisse felicitatis pristinae: *Ego ille quondam opulentus repente contritus sum.* Job. 16. Quid dicet proinde Peccator in abyssu, quando recordabitur, quod solitus fuerit, omnibus incutere sui timorem, etiam blasphemis contra DEUM eam in rem usus cum gravi ejus injuriā; nunc autem sit ita infirmus, ut ne pili quidem intervallo se movere possit in latus alterum? Si  
 memi-

meminerit, antea ad tuendam dignitatem suam tot molitum se esse vindictas, nunc autem se rabie emori sub pedibus malorum Dæmonum; *Vadent, & venient super eum horribiles. Job. 20. v. 25.* nec tamen tanti contemptus sensum ullum posse prodere. Prius se datum penitus oblectationibus, gulæ suæ appetitum explēsse omni sorte crapularum, carnis pruritus omni sorte impuritatum, fugisse quidquid molestum erat; nunc autem semper sibi plorandum, semper patiendum, semper moriendum præ desperatione. *Crucior in hac flamma.* O memoriam funestam! ô permutationem luctuosam! Utinam saltem posset, ut hac in vita, dispellere molestas has cogitationes somno, mitigare colloquiis, obruere novis oblectamentis! Sed frustra hæc. *Qui me comedunt, non dormiunt. Job. 30. v. 17.* Vermis iste non obdormiscit; in hoc Tribunali nullæ unquam sunt ferix. Non poterit unquam Anima cessare à suis operationibus; nunquam mentem aliò avertere; necesse erit, velit nolit, semper hæc memoriâ volvere. Quis proinde concipere potest, quale spectaculum futurum sit menti Dammati brevis illa voluptatula, quam à creaturis contra DEI mandatum quasi furtim decerpit?

Tellus è cælo empyreo conspecta ne punctum quidem videtur: qualis ergo videbitur vita nostra tam brevis aspecta ex fundo, ut sic loquar, æternitatis? Si Peccatori ad extremam vitæ lineam admoto vita videtur tanquam somnium volans; qualis ipsi videbitur post myriades myriadum seculorum elapsorum in fornace ardenti tot inter tormenta? Una hora sufficeret ad reddendam ipsi infelicissimam memoriam: *malitia hora oblivionem fecit luxuria magna. Eccl. 11. v. 19.* Cogita, qualis infelicitas futura sit post numerum annorum semper majorem meminisse

E

boni

boni sordidi, momentanei, præteriti instar umbræ, & permutati cruciatu æterno? Illi qui abjecerunt animam & salutem ut singulari pugnarent certamine, ne sua designatione fraudarentur, ne desererent familiaritatem turpem, ne ignoscerent offendenti, ut familiam aliquanto altiùs eveherent, quid dicent quæso, quando videbunt inter illas tenebras abolitam omnem memoriam familiæ, consumptam à vermibus illam mulierculam, redactam in cineres domum, patriam, terram omnem flammis extremæ dici? Cruciatu futurus esset intolerabilis, elegisse noctem unam transigendam in flammis, ut mille annis vitæ liceret frui omnigenere voluptatum. Qualis igitur, quæso, cruciatu erit elegisse æternitatem vitæ in abyssu malorum omnium, dummodo liceret bibere pauculas guttas venenati oblectamenti? *Gustans gustavi paululum mellis, & ecce morior. 1. Reg. 14.* O mortem, quæ finem nescit! ô stultitiam, cui par alia nulla est!

*Pœnitentia Peccatorum admissorum.*

.II **C**ONSIDERA secundum vulnus vermis hujus devorantis, quod erit Pœnitentia sera & infructuosa de peccatis admissis. *Sera turbabit Pœnitentia.* Peccatum in hoc Mundo sceleratis res est risu digna. *Quasi per risum stultus operatur scelus. Prov. 10. v. 24.* Non aliud in eo apprehendunt malum, quàm innocentem quandam deformitatem: *Deformitas sine dolore:* & idcirco nonnunquam inde superbiunt, se jactant, perinde ac si maculæ animæ servire ipsis possint, ut maculæ marmoris, pro augmento venustatis. Sed noli dubitare, quin mutaturi sint iudicium in profundo Inferni, ubi aspectus monstruosissimus

unius

unius culpæ gravis causa erit doloris multo magis inexplicabilis, quàm aspectus omnium aliorum monstrorum infernalium. S. Catharina Genuensis (in vita c. 20.) in hac veritate tantopere illustrata à DEO, dicere ei solebat, ut potius momento mortis suæ objiceret sibi deformitatem omnium Dæmonum spectandam, quàm turpitudinem vel minimi actus pugnantis contra divinam ejus voluntatem. Argue idcirco hinc, quantus cruciatus sit futurus intueri æternùm abominations omnium flagitiorum, quales in se ipsis sunt. Dixi autem primò, intueri æternùm; divina siquidem Justitia affiget intellectum Reprobi ad cogitandum perpetuò malum quod perpetravit, & voluntatem ad illud detestandum, quin unquam alterutram facultatem aliò possit divertere. *Iusto DEI judicio omnia peccata memorantur, & de omnibus continuo torquentur*, ait S. Bonaventura in 4. dist. 50. qu. ult. Crudelissima fuit illa vindicta Mariti, cui tori fidem conjunx violaverat. Postquam enim eam adegit, ut sua manu strangularet adulterum, in cubiculo, cui eam ineludit, suspendit cadaver, ut ejus aspectu & horribili fœtore enecaretur; quod & factum est. Judica igitur, quanto meliùs modum se vindicandi inventura sit divina justitia, cujus intentiones omnes infinitâ quâdam rectitudine diriguntur, & non minore sapientiâ. Suspendet illa corpus omnis delicti ante oculos Animarum Damnatarum, volêtque ut hæc nunquam non contemplantur suam stultitiam, vivâmque semper in ipsis servabit cognitionem, & memoriam perfidiæ earundem. *Statuam contra faciem tuam. Psal. 49. Non ut corrigas, sed ut erubescas. Aug. 16.* Dixi præterea quòd contemplaturæ sint flagitia sua, qualia sunt in se. DEUS enim communicabit cum illis cognitionem & notitiam, quam ipse ha-



bet: unde talis apparebit ipsis sua culpa, qualis! DEO; nimirum ut abyssus omnis turpitudinis & malitiæ; & nullo modo apparebit ut nunc, malum nullius momenti. *Tunc confusio respiciet æstimationem DEI. S. Th. q. 87. suppl. a. 1. ad 4.* Sic ut miseri contemplantes parte unâ regulam omnis bonitatis, quæ est voluntas DEI; alterâ verò parte repugnantiam non flectendam, quâ ipsi dissident ab illa regula, tali oppositione summam sibi calamitatem sint fabricaturi. *Posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihi metipsi gravis. Job. 7. v. 20.* Et licet æternùm deploraturi sint suas iniquitates, nunquam tamen cum illo redibunt in gratiam aut concordiam: nec enim in iniquitatibus illis displicebit aliud, quam quod placet DEO, hoc est pœna: & placebit illis quod DEO displicet, nimirum culpa. *Nunquam recto, pravòque conveniet: hæc enim sibi invicem adversantur.* Ait S. Bernardus *l. 5. de Consid. c. 11.* O igitur conditionem miseræ infinitæ, semper cognoscere malignitatem peccati, & semper tamen illi locum dare! dolere semper de admisso scelere, & semper scelera sceleribus cumulare! *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper. Psal. 73.* Ad istam æternam, & infructuosissimam pœnitentiam, ô Peccatores, vestra vos deducit iniquitas: & nihilominus pro eo, quòd ab hac via recedatis feriâ & utili pœnitentiâ, semper in ea progredimini aliis & aliis novis peccatis. Quid dicam vobis? Non suppetunt mihi verba quibus exprimam hanc omnis sensûs expertem stoliditatem, quòd homo, etsi tantâ curâ & sollicitudine fugiat mala momenti nullius, quærat nihilominus incredibile temeritate pericula tam horrenda. An naturam forsân mutavimus, ubi agitur de salute & æternitate? O Dæmon execrande, ubi tu reperisti veneficium tam potens, ut omnem

mnem judicandi facultatem Peccatoribus auferat? Care mi Lector, imprime characteribus non delendis memoriae tuae hac voces: *Respice finem*. Non respice modicum illud dulcedinis, quod secum fert peccatum, sed respice pœnitudinem illam sempiternam, quæ sequetur peccatum in Inferno. *Respice, respice finem*.

*Occasiones bona neglecta.*

**C**onsidera tertiam plagam, quam in Damnatis efficit **III.**  
 Vermis Conscientiæ, & est, angustia quædam inexplicabilis ob neglectas tam egregias occasiones salutem consequendi; cum tamen tunc non appareat vel unica, propterea quod juramento DEI, cujus vita finem nullum habebit, stabilitum sit, nunquam amplius venturum tempus, quo præteritæ negligentia mederi liceat. *Juravit per viventem in secula seculorum, quia tempus non erit amplius. Apoc. 10. v. 6.* Hoc est, quod ponderosissimâ desperatione ex miserorum cordibus inconsolabilem planctum exprimit: *Torquet angustia: Tempus non erit amplius.* Ingemuit quondam tam flebiliter, ut vel saxa ad miserationem movere potuisset, vox quædam, quæ à certa Anima profecta aures viri Religiosissimi perculit: à quo interrogata quæ esset, & quæ doloris ejus causa? respondit: Sum anima damnata, & desleo cum sociis meis supra omnem aliam calamitatem tempus amissum, quod in æternum non redibit. (*Drexel. de Damnatis. Rogo. 3.*) Oigitur pretiosum tempus, & tam malè nihilominus impensum in ludis, amoribus, colloquiis, oblectamentis, peccatis! Tu eris vipera illa omnium sævissima, quæ cor nostrum veneno in-

no inficiat, ubi miseros damnari contigerit! quo pretio & conditionibus non redimeremus dimidiam horulam, quâ veniam peteremus à DEO, coram Sacerdote nos accusaremus, voluntariis pœnis maceraremus nostrum corpus? Si fieri posset ut finem acciperet æternitas, contenti essemus unam integram transigere in cruciatibus duplicatis ad impetrandam dimidiam hanc pœnitentiæ horam; & tamen tunc nullâ ratione fieri poterit, quod prius fieri tam facilè poterat. *Tempus non erit amplius.* Interim amisisse non sinistro aliquo & adverso casu, sed arbitrio proprio abjecisse talem tantumque thesaurum, sine ulla spe illum unquam recuperandi, efficiet ut miseri tartarea rabie pessimè precentur nunc DEO, quem oderunt tanquam inimicum; nunc Dæmonibus, quos execrantur ut proditores; nunc Sodalibus, qui ad malum duces fuerunt, nunc super omnes reliquos sibi ipsis, qui apertis oculis præcipitare se voluerint in illam abyssum tormentorum. Ah stultum, dicet quilibet, ah miserabilem me, quem non piguit momento spurcæ voluptatule permutare æternitatem cruciatuum! an non id inculcabant Confessarij, non ingeminabant libri pij, non me certum reddebat Fides finem peccati esse damnationem æternam? Et ego insensatus, ego belua execrabilis nolui aperire oculos ad bonum meum, sed deliberata voluntate æternum perire volui! Fuit cum Deus me vocabat tot inspirationibus, me hortabatur tot vocibus, me provocabat tot promissis, terrebat tot minis; & ego ad hæc omnia absurdum. Nunc etsi orem, etsi agam omnia, etsi mare integrum lacrymarum profundam, non obtinebo tamen illud bonum, quod unicâ quondam lacrymula impetrare potuissem: erit semper ferreus & inexorabilis DEVS, qui tantopere olim meas miseras miserabatur, ut sæpius

pius lacrymas idcirco profuderit. Utinam saltem mortem hinc aliquam invenire esset, quæ finem tantis malis afferret! erit autem mors quidem pro tormento, sed non qualem miseri optarent pro refrigerio: *Occidente paná, vivificante sententiá. Eus. Emiss. l. 1. ad Mon.* Et idcirco aliud tibi non supererit, quam admordere, & devorare præ dolore linguam, quæ sola in tuo manebit arbitrio: *Manducaverunt linguas suas præ dolore. Apoc. 16.* Ante Mundi cataclysmum quidam DEI Servi ut nunciarent Peccatoribus imminens illud malum, insculpservunt marmori suum vaticinium: nec tamen fides ipsis est habita, donec ruptis cæli cataractis omnes denique suffocati fuerunt iniqui. *Berosus l. 1. apud P. Pereiriam in Gen. l. 8. in Pref. n. 3.* Ego non desistentibus peccare denuntio diluvium, sed ignis sempiternum; tempestatem perpetuam malorum omnium: & meam denuntiationem non marmori, sed his foliis incido: Faxit bonus DEUS ut fidem inveniam antequam prætereat tempus evitandi tam immane supplicium!

## Oratio.

*Ad Angelum Custodem pro impetrando auxilio ad evitandum Infernum.*

**O** Sancte Angele, cujus manibus singulari DEI mei providentiâ jam inde à primo, quo lucem aspexi, momento commissus sum, quando unquam, quantas debeo, gratias tibi agere poterò propterea quòd toties me liberâris ab Inferno, quoties cavisti ne morerer in peccato! Quam multa insuper admissem alia peccata, nisi tuæ obstitissent inspirationes? & quoties mihi iisdem in peccatis ani-

tis animam extorsisset malus Dæmon, si tu Protector meus, ad omne bonum meum tam sedulo excubans, tuâ mihi caritate non adstitisses, & divinam impedisses Justitiam, ne me in illorum manus traderet? Vita mea noxarum suarum foetore longè te fugabat à me, tu tamen noluisti recedere à cadavere putrido, sed patientiâ incomparabili instigasti me, ut vitam emendarem, quò denique socius tuus esse possem in gloria. Hoc si contingat, polliceor sanè, me tunc æternas tibi acturum gratias; sicut jam nunc incipio ex corde: interim tamen quæso ne fatigeris, ô dux vitæ meæ, & in hac peregrinatione fidus anteambulo: perfice opus tuum, introduc me in beatum illam patriam; libera me ab hoc inimico crudeli, qui dies noctesque circuit, ut me devoret. Oro te per omnem illam obligationem, quâ devinctus DEO es, & ejus infinitæ Bonitati, ex eo quòd non permiserit, ut caderes cum Angelis Reprobis, sed te custodierit fortiter cum Electis; custodi me quoque fortiter, animos, robur, & vigorem suggere. Voca in subsidium, tuum, & meum, Principem Militiæ cælestis Sanctum Michaëlem, ut iterum præcipitem agat in abyssum Dæmonem istum perduellem, qui semper me impugnat. Voca Angelos Sanctos omnes socios tuos, dum mecum agitur de summo negotio: agitur de Gloria DEI; agitur de servandâ animâ manibus tuis creditâ; agitur de explendo desiderio Servatoris mei, qui tanta in me caritate fertur, ut paratus sit, mortem denuo pro salute mea obire. Mihi parte mea fixum ratumque est nunquam recedere à ductu tuo, sed semper pendere à te; & spero hoc medio effugere damnationem æternam, & venire tecum ad possidendum & laudandum DEUM nostrum per secula seculorum, Amen.

Con.

# Confideratio VI.

## Pro die Veneris.

### Desperatio.

#### *Propter Extensionem pœnarum.*

**C**onfidera, quòd etſi homo in hac vita ferre poteſt **I.**  
 multa mala, non poteſt tamen ſimul ferre omnia;  
 hîc enim malum unum medetur alteri, & nonnun-  
 quam duo venena unum conſtant alexipharmacum. At  
 in Inferno alia evenient omnia; pœna ibi una manum al-  
 teri porriget, & Damnati erunt tanquam totidem vaſa ple-  
 na uſque ad ſummum irâ DEI. *Vaſa ira. Rom. 9.* Sicut  
 enim in Cælo res omnes ac ſingulæ erunt materia gaudi-  
 ſic in abyſſo illa, omnia ac ſingula, teſte S. Thoma *in 4.*  
*diſt. 50. q. 2. art. 2.* erunt materia triftitiæ; nec ibi quid-  
 quam deerit, quod infeliciffimam reddere poſſit animam,  
 ad hoc ut miſeria Reproborum ex omni parte completa ſit;  
 ſicut in cælo omni ex parte perfecta erit Beatitudo Electro-  
 rum. Hunc in finem colliget DEUS omnes pœnas ac ſup-  
 plicia in faſcem unum, ut eum imponat in humeros illo-  
 rum infelicium perduellium, & fulmina omnia Arma-  
 mentarij Juſtitiæ ſuæ vibrabit, ad eos percutiendos ex omni  
 parte, & nihil in iis abſque peculiari ſua plaga relinquen-  
 dum. *Congregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo*  
*in eis. Deut. 32.* Sufficeret ſolus ignis ad eos infeliciffimos  
 conſtituendos; in eo enim Damnati habebunt plus ſine  
 comparatione doloris, quàm ex omnibus lanienis, quas  
 unquam excogitare poſſent aut homines, aut Dæmones;  
 cùm ille ſit inventum DEI. *Præparata eſt enim Tophet, &*

F

Rege

Rege preparata, profunda, & dilatata; nutrimenta ejus ignis, & flatus Domini sicut torrens sulfuris succendens eam. *Jsa. 30. v. 33.* Nihilominus plus adhuc meretur eorum perversitas: & sicut membris omnibus, & omnibus facultatibus abusi sunt ad peccandum, ita in membris omnibus in omnibus facultatibus digni sunt puniri tot doloribus, ut Propheta eos existimaret innumerabiles: *Quis poterit prae timore iram tuam dinumerare? Psal. 99.* Idcirco præter id, quod hæctenus consideratum est circa sensus externos, facultates internæ, ut perfectiores, ita & doloris multo magis capaces, magis etiam cruciabuntur. Facultas imaginatrix semper affligetur imaginibus terribilibus; & si quis atrabile, cui quis hæc in vita obnoxius vivat, diu noctuque funesta sibi intus simulacra objicit, quid fiet malis omnibus conspirantibus; quando Damnatus videbit supra se cælum clausum, infra se ignem inextinguibilem, circa se Diabolos intolerandos, intra se pœnas consolationem omnem respuentes? Appetitus sensus perpetuo velut fluxu & refluxu agitabitur, imò tanquam in continuo naufragio cœdiorum, agoniarum, tabiei, angustiarum, expositus ictibus omnibus Justitiæ divinæ, quin vel ab uno tueri se possit. O DEUS: si gutta una aquæ assiduò destillans in saxum durissimum, tamen illud excavat, quid efficiet in infelicibus animis diluvium æternum malorum omnium, velut stipendio conductorum ad vindicandas injurias illatas Conditori? *Fluet super illos bellum suum. Job. 30.* Intellectus eorum plenus erit horribilibus tenebris internis, plus quàm plenus sit tenebris externis eorum career, & omnium quæ olim noverant, memores non erunt, nisi quantum servient ad eos ampliùs excruciantos. *Nec scientia*

erit apud inferos. *Eccl. 9.* Magni nominis Doctor Parisien-  
 sis, cum Episcopo spectabilis appareret, fassus est, se in In-  
 ferno jam aliud nescire, quam quod damnatus sit, & quod  
 nunquam ullo bono sit fruiturus. Voluntas in sua mali-  
 tia erit obstinata, sic ut per omnem deinceps, quanta quan-  
 ta erit æternitatem, ne minimum quidem erga bonum ul-  
 lum honestum affectum sit expertura; quin imò semper  
 peccata peccatis accumulans, quanto magis est depressa à  
 DEO, tanto magis se contra eum attollens odio ac super-  
 bià, miseriam & calamitatem suam retinebit æternam.  
*Quid tam pœnale, quàm semper velle, quod nunquam erit;  
 & semper uolle, quod nunquam non erit?* Aiebat S. Bernar-  
 dus *l. 5. de Consid. c. 12.* Desiderabit siquidem Anima sem-  
 per aut oblectamenta, aut vindictam; & suo desiderio po-  
 tiri nunquam poterit. Odio habebit semper Justitiam &  
 supplicium; & nec hoc, nec illà carere unquam poterit.  
*In æternum non obtinebit, quod vult; & quod non vult, in  
 æternum nihilominus sustinebit. id. ib.* Si misella humilia-  
 re se posset sub potenti manu DEI, & osculari illam dex-  
 tram, quæ tam justè ipsam flagellat, mitigaret dolores  
 suos; sicut illos mitigant Sanctæ illæ animæ purgantium  
 ignium ergastulo clausæ: at proterva semper majoribus fu-  
 riis agitur, & bufonis instar inter ictus cum veneno ra-  
 biem geminat: redit identidem ad evertendum decretum  
 divinum, & semper frustra conatur; cum vellet evitare  
 pœnam absque eo quod abhorreat à culpa: & quia pertur-  
 bationes omnes sine freno sunt, omnes se cum Anima  
 conjungunt ad novum assultum, & omnes semper infinito  
 cum dolore repelluntur. *Nunquam recto pravòque conve-  
 nit. Bern. l. c.* Qualis proinde erit infelicitum illarum crea-  
 turarum desperatio in æterna repulsa cujuslibet earum de-  
 siderij,



siderij, quando videbunt, quòd omnibus seculis post tot pœnas ac supplicia DEUS ipsis ne guttulam quidem leniminis sit concessurus? En finem, ad quem perducit spes falsa peccantium, operandi semper malè, & habendi semper bene; perseverandi in peccatis usque ad mortem, & accipiendi pro mercede salutem; multiplicandi Servatori suo semper nova vulnera; & expectare semper tanquam ex arbore vulnerata balsamum benignitatis. *Fili non semina mala in sulcis justitiæ, & non metes eam in septuplum. Eccl. 7. v. 3.* Hoc est consilium, quod divina tibi misericordia suggerit. Non semina peccata, & non metes supplicia multiplicata. Cura igitur ut in rem tuam ista vertas: spes enim quæ multiplicat iniquitatem, desinit tandem in æternam desperationem,

*Propter Intensionem earundem.*

II **C**onsidera, jure ac merito Infernum ab infelici illo Divite appellatum esse, *locum tormentorum*: ipse enim centrum est malorum omnium. Quare sicut res, quæ in centro suo sunt, fortiores quàm ullo alio loco sunt, vimque agendi habent, quàm habere possunt maximam; sic mala, quæ in Inferno erunt, non erunt solùm numero innumerabilia, sed etiam supra omnem comparisonem intensa & pura. Ibi imprimis pœnæ nihil habebunt, quod cum ipsis pugnet, easque leniat, sed erunt meræ pœnæ sine mixtura ullius solatij, perinde ac in cælo gaudia, mera erunt gaudia sine mixtura ullius tristitiæ. Insuper ipsa ibi bona mutabuntur in mala. Societas, quæ alibi miserorum solatium est, ibi summæ erit molestiæ: lux quæ alibi tam pulchra est, ibi plus quàm ipsæ tenebræ odio habebitur:

tur: cognitio quæ alibi suâ scientiâ oblectat, ibi plus cruciabit quàm ipsa ignorantia; sic ut mors, quæ ceteroquin omnium terribilium terribilissimum est, in illa rerum omnium perturbatione omnium votorum summa futura sit. Hac in vita dolores aut non sunt longi, aut non sunt vehementes; natura enim aut illis assuefit, aut illos vincit, aut cadit sub onere & extinguitur. *Brevis morbus alterutrum facit, aut extinguetur, aut extinguet. Sen. Ep. 78.* At in Inferno leges cum his omnino pugnantibus sunt; cum ibi dolores uno eodémque semper in statu futuri sint, intolerandi intensione, interminabiles duratione; nec tempore lenius fiet pati, nec tempore confumentur patientes. *In Inferno nulla est redemptio.* Ibi sicut nihil est moderatum in lanienis, ita nihil est quietis in reis, qui semper eodem modo non tantùm vivi, sed vivaces conservantur, ut sentiant suam miseriam, nec vel momento temporis eam valeant declinare. *Ut urantur, & sentiant usque in sempiternum. Jud. 16. v. 21.* Sic exigit Majestas divina contempta à Peccatoribus; sic postulat Sanguis Christi JESU conculcatus; sic cælum spretum, & posthabitum stercore. Divina Justitia, quæ nutritrix est reparatrix & honoris divini, ulciscendas sibi sumit istas injurias, seque qualis est cognoscendam præbet: *Cognoscetur Dominus judicium faciens. Psal. 9.* Sic ut miseri illi, qui tam malè cognoverunt DEUM, & quem nunquam visuri sunt, cognituri illum sint ex gravitate ictuum, qui toto in eos pondere incumbent; & quasi sensibus eum percepturi in vulneribus, quæ in Animabus ipsorum quodammodo sculpsit. Interim persuadere tibi potes, Lector mi care, quòd si pœna ullius illorum miserorum divideretur inter omnes, qui in terris degunt, mortales, suffecturum esset id, quod cuique obveniret, ad mor-

tem illi majori cum cruciatu inferendam, quam ullus unquam reus exantlârit: & hinc argue, qualis futura sit desperatio, quam unica animarum damnatarum experietur; quæ suâ culpâ inveniet se vivam sepultam æternum in doloribus tam omnem mensuram excedentibus. Sicuti Nobili delicato in pœnam excessuum admissorû nascitur intra viscera lapillus, ferre non potest unam illarum punctio- num, fremit, in lecto se serpentis instar conglomerat, damnat fortem suam, & ipsa etiam lenimina fastidit. Et tamen lectus est plumeus, cubiculum tepidum; amici contolantur, Medici spe recreant, remediis sublevant, Uxor servit magno amore, domus tota diu noctuque occupata est in malo leniendo: & ille aliud non patitur, quam levem vellicati- onem in parte minimâ corporis, ceteroquin integri ac sani. Isto quid jam fiet quando damnatus sepelietur in aby- sso ignis, tenebrarum, fœtoris, percussus in omni parte cor- poris, & in tota sua anima omni genere malorum? *Omnis dolor irruet super eum. Job. 20. v. 22.* Et ibi inter execrati- onem sociorum tam exosorum, inter ictus & illusiones Dæmonum tam crudelium, inter clamores tam multorum puditorum sine solatio, sine spe, cogetur omni momento pati mille mortes. Istas veritates post tot argumenta, quæ nobis illas affirmant, non credere, extrema dementia est; ju- dica tu, quæ dementia futura sit, illas credere, & tantum non semper vivere in peccato; hoc est, vivere tam procul ab illo barathro, quam procul est mortuus à tumulo: si- quidem non minùs debetur Peccatori, sepeliri in illa aby- sso, quam debeat cadaveri, abjici in sepulchrum. Ma- gna res est, quòd nostra malitia adegerit DEUM tam bo- num ad fabricandum locum talium tantarumque pœna- rum, ut ipsi Peccatores obtemperarent, ipsum amarent. Sed  
quanto

quanto est mirabilius, quòd etiam postquam tot pœnarum locum est fabricatus, tamen ipsum Peccatores non ament, ipsi non obtemperant?

*Propter comparationem cum Gloria.*

**C**onsidera, ultimum complementum Desperationis Damnatorum formatum iri ex ipsa Gloria Electorum in cælo. *Elevans oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu ejus. Luc. 16. v. 23.* Hic aspectus crudeli antiperistasi exacerbabit tormenta illorum infelicitum, qui pari ferè odio ferentur in miseriam propriam, & summam felicitatem alienam. Nam etsi DEUM nunquam viderint, tamen pro majori suo tormento impressam habebunt animo cognitionem vivacissimam magni illius boni, quod in æterna ejus possessione consistit; & hæc ipsa cõgnitio clarior fiet ultimo Mundi die, quando intuebuntur gloriosam Christi JESU humanitatem, quæ ipsis erit terrori iniomparabili, simulque per ipsum tanquam opus DEI omnium maximum apprehendent insuper magnitudinem Majestatis divinæ, & quod consequens est, Beatitudinem Prædestinatorum, quâ hi æternum fruuntur. *S. Tho. quoll. 3. q. 7. n. 17.* Parte alterâ Invidia, sicut omnia alia vitia spiritualia, in Damnatis erit vehementissima, & hæc alterum quodammodo Infernum in his malè fortunatorum cordibus efficiet: *Dura sicut Infernus emulatio*; dum ipsis in tormentum vertet, quidquid boni possident Sancti, & faciet ut infinita rabie illos desiderent habere locos suorum tormentorum. Judæis ex eo solum, quòd se S. Stephano in inita disceptatione inferiores fuisse viderent, disrumpebatur cor & viscera, fremebantquo

bântque contra eum: *Dissecabantur cordibus, & stridebant dentibus in eum. Act. 7. 54.* Unde facile erit colligere, qualis futura sit rabies Reproborum, quando memoria occurret inexplicabilis triumphus Electorum. Enimvero si pœna hæc non esset futura acerbissima, Sacræ Litteræ non toties ejus, ad terrorem nobis incutiendum, meminissent. S. Joannes in Apocalypsi sua asserit, Reprobos torquendos diu noctûque in conspectu Angelorum Sanctorum, & Christi Judicis: *Cruciantur igne & sulfure in conspectu Angelorum Sanctorum, & ante conspectum Agni. Apoc. 14.* S. Paulus affirmat, eum qui non obedierit Evangelio, luiturum suam temeritatem supplicio æterno ante faciem Omnipotentis DEI. *Qui non obediunt Evangelio, pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini. 2. Thess. 1. 8.* Id quod duplici modo verum est, dum & Sancti pœnas Reproborum in Divinitate tanquam in speculo contemplabuntur; & Reprobi in sua calamitate agnoscent gloriam Sanctorum, sicut æger aliquis bonum sanitatis in propriis suis miseriis dignoscit. Sic & Isaias ostendit, unum ex acerbioribus tormentis, quæ scelerati in pœnam noxarum suarum passuri sunt, fore, emori fame, mœrore, afflictione sub illud ipsum tempus, quo boni satiabuntur æterna satietate oblationum, & exultabunt omni momento propter redundantem gaudiorum suorum multitudinem.

*Faciebatis malum in oculis meis, & qua nolui elegistis, propterea ecce servi mei comedent, & vos esurietis: ecce servi mei letabuntur, & vos confundemini: ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis. c. 16.* Maxime quia non tantum cognoscent, quod Sancti fruuntur infinitis deliciis, dum ipsi fremunt inter immensa tormenta; sed

cogno-

cognoscent insuper, quòd DEUS cum Beatis gaudeat & exultet de ipsis eorum pœnis, propter gloriam, quæ ex damnatione Peccatorum in divinam Justitiam redundat. Istud enimvero infelicibus illis dolebit intimè; debere ferre tot cruciatus in æternum, & debere eos ferre in conspectu Judicis sui, & æmulorum suorum, quos extremè oderunt; & debere eos pati cum tanto incremento felicitatis ipsorum, cum ipsi debeant esse quodammodo víctima Sacrificij perpetui, consumpta, quin tamen unquam consumatur, in honorem Altissimi. Et tamen ita res habet: Si ego miserrimus æternùm pereò; tu verò, mi Lector, salutem consequeris, tu semper de meis tormentis gaudebis, & ego semper torquebor de tuo gaudio; & vicissim si ego beatus evasero, & tu æternùm infelix, ego semper ridebo tuam calamitatem, non ut malum tuum, sed ut bonum DEI suas injurias vindicantis. *Letabitur justus cum viderit vindictam; manus suas lavabit in sanguine Peccatoris. Ps. 57.* Qualis autem obsecro erit ista desperatio, non solùm inter tot mala nihil recipere lenimenti, sed insuper hostium summè exosorum felicitatem suis malis augere? Impius Apostata Julianus manu non aspectabili vulneratus, sanguinem, quo manum impleverat, cælum versùs projecit cum blasphemo convicio: *Saturare Nazarene, vicisti.* Quales ergo erunt blasphemix, imprecationes, odium erga Deum, & quemlibet è Sanctis ejus, qui non tantùm vulnerat, sed lætatur, sed se, ut ita dicam, exornat intus sanguine illorum perduellium? Interim, si omni ex urbe unus solus, & singulis seculis deberet in illam abyssum abjici, & desperabundus fremere, quemlibet nostrùm par esset cohorrescere; tam horrendum malum est, æternùm damnari; & sci-

G

mus

mus tamen tam multos quotidie eò ruere præcipites, *Mul-  
ti sunt, qui intrant per eam. Matth. 7.* Et pergimus tamen  
securi vivere in peccato, hoc est, non formidamus ambu-  
lare per viam, cujus terminus est illud irreparabile præci-  
pitium! O te Parentem infelicem, qui genuisti unum eo-  
rum monstrorum, quod æternùm peribit! O Matrem mi-  
seram, quæ talem abortum lacte tuo nutristi! O Matrimo-  
nium calamitosum, quo mediante lucem aspexit æternus  
DEI inimicus! Sed multo miseriorem, multo infeliciorem  
& calamitosiorem te, qui ante experiri vis cruciatus istos,  
quàm credere! *Væ quibus prius experienda sunt ista, quàm  
credenda! Euf. Emyss. hom. 1. ad Monach.*

### Oratio.

*Ad Sanctos Patronos ut impetrent nobis gratiam Sa-  
lutis consequenda.*

**O** Sancti mei Protectores, ex omni Cælitum numero  
à me lecti, pro singulari fiducia, quam de vestro pa-  
trocinio concepi, vos non habetis porro quod me-  
tuatis, cum jam in portu stet vestra navis; tamen pro vestra  
in me summa benignitate solliciti estis de me, quem vide-  
tis adhuc jactari cum tanto periculo æternùm pereundi. Et  
sanè est cur sitis solliciti, dum toties vobis inspectantibus  
spontaneum naufragium passus sum, quoties peccavi. Et  
ubi nunc ego essem, si benignissima Servatoris mei manus  
me non sustentasset, ne mergerer, & nisi vos tam studiosi  
salutis meæ non impetrassetis mihi spatium pœnitentiæ, &  
tempus emendationis? horreo, dum cogito, & tamen tam  
parum capio de meo discrimine: quid ergo dicetis vos, qui  
cogni-

cognitione tam perfecta metimini fundum abyssi illius infernalis, quæ me erat absorptura? Tam multas igitur vobis gratias rependo, quàm multa sunt momenta illius vitæ, quæ vestris, precibus mihi concessa fuit, ut serio me pœniteret: rogoque vos præterea per illam ineffabilem Bonitatem DEI mei, qui ab æterno elegit vos amicos suos, & hæredes Regni sui cælestis, ne fatigemini iniquitatibus meis, sed vincatis duritiem meam efficaciam precum vestrarum, & obtineatis plenam præteritorum delictorum meorum veniam, cum abundantiam gratiam, moriendi potius, quàm ad vomitum peccati redeundi. Hac nixus spe ego vos hodie eligo testes illius pacis, quam cogito stabilire, & in æternum conservare cum DEO meo; protestando coram vobis, quòd abhorream extremè horribilem meam ingratiudinem, & diabolicam temeritatem, quâ illum tam graviter offendi, & profitendo palàm, quòd si iterum offendere eundem deberem, eligerem potius confestim in nihilum redigi, quàm tam immanem illi porro inferre injuriam. Interim vos, qui nunc testes estis mei decreti, facite vos Advocatos perpetuos, & obtinete mihi vires ad vincendos vestro exemplo hostes meos Mundum, Carnem, Dæmonem, ut vobiscum semper in cælo triumphem. Amen.





## Consideratio VII.

Pro die Sabbati.

Æternitas Pœnarum.

*Est Interminabilis.*

I. **C**onsidera; Pœnas Inferni, quamvis essent levissimæ, ex eo tamen, quòd finem nullum sint habituræ, evasuras infinitas. Quid ergo erit, cum & atrocitate sint intolerabiles, & simul æternitate interminabiles? Quis potest capere, quantum ponderis accedat dolori ex eo, quòd finem non sit habiturus? Cruciatu unius horæ magnum malum est: duplex malum est cruciatus horarum duarum, & centuplicatum malum est cruciatus centum horarum, atque ita progrediendo, quòd pœna durat diutiùs, tanto evadit magis formidanda. Illa igitur Pœna, quæ durat horis, diebus, seculis infinitis, profectò est malum infinitum, & omnem nostram in concipiendo cogitationem superat. Hinc si hæc daretur Damnatis optio, ut vel tolerarent æternum punctiorem Apis in aliquo oculorum, vel tolerarent omnes cruciatus Inferni tot seculis, quot sunt in cælo stellæ, eligerent procul dubio esse ita miseri tam longo decursu seculorum, & subinde videre finem ejus doloris, quàm tolerare malum tanto minus, sed absque fine. Breve est, contemni potest, quidquid æternum non est; quia per totam æternitatem erit nihil. *Quid enim potest grande esse, quod habet finem? Ait S. Hieronymus in Psal. 89. V. Cornel. in Epist. 2. Petri c. 3. v. 8. è diverso quod finem non habet, sicut comprehendi non potest, ita*

non

non potest non timeri, nisi ab infano. Hoc idcirco pessimum, quod sicut malum culpæ, ita & malum pœnæ non masticeretur, sed devoretur à Peccatoribus. *Os impiorum devorat iniquitatem. Prov. 10.* Et si hoc ita est, applicemus tantisper animum ad metiendam hanc æternitatem, quæ mensuram non patitur. Accipe clepsydram illam, quæ horas metiris, quæ fluunt, & sic te ipsum alloquere.

Si necesse esset me vivum hærere in medio ignis per tot millia annorum, quot sunt pulvisculi arenæ in hoc vasculo, quando unquam cruciatus meus finem esset habiturus? Tanto jam tempore duravit Mundus, & tamen nondum lapsa sunt sex millia annorum: nondum igitur ablati essent sex illarum propè atomorum, quæ vitrum hoc implent; & tamen si ego morior in peccato, fide certum est, postquam cruciatus fuero per omnia hæc secula, necdum tamen partem minimam supplicij mei esse præterlapsam, & æternitatem superfuturam integram. Progrediamur igitur; & imaginemur montem tam vastum simili conflatum arenâ, qui à terra ad supremum usque cælum apicem porrigat, & dic: si me necesse esset vivum ardere in igne tot millibus annorum, quot arenæ pulvisculi hunc montem componunt, quando tandem finis futurus esset tormentorum meorum? & tamen si mori me contingat in peccato lethali, fide certum est, quod post cruciatus tot seculorum decursu exantlatos, nihil adhuc pœnæ meæ elapsum sit, & æternitas tota atque integra sit superfutura. Agamus igitur hac ratione. Mons ille magnitudinis tam vastæ duplicetur tot vicibus, quot sunt arenæ maris, quot folia arborum, quot plumæ volucrum, quot squamæ piscium, quot pili animalium, quot atomi aëris, quot guttulæ aquæ, quæ

hactenus lapsæ sunt, & deinceps cælo cadent usque ad Mundi finem: quæ unquam humana mens comprehendere poterit numerum tam magnum, cum vix illum comprehendat Intellectus Angelicus? & tamen si tu, si ego moriemur in peccato lethali, fide certum est, quod toto hoc tempore hæfuri simus in igne, quodque omnes isti anni elapsuri sint, quin tamen quidquam decedat nostræ pœnæ, aut æternitas vel unico momento decreseat. O igitur æternitas, ô æternitas! aut fide carent Peccatores, aut cerebro. Potésne tu negare, quod vivere in peccato non sit, esse constitutum in periculo præcipitandi in illam abyssum, ex qua exitus non patet per omnem deinceps æternitatem? Negare profectò id non potes, si Christianus es; quin imò dicere cum veritate potes, quamdiu ita vivis, te non nisi passu unico ab illa abyssò distare; quodque jam uno pede in illa hæreas: *Uno tantum ut ita dicam gradu ego morsque dividimur. 1. Reg. 20.* Dum, sicut momento quolibet supervenire tibi mors potest, ita quolibet momento præceps eò ruere potes. Exponere autem se manifesto periculo ardendi mille annis in igne pro vilissima & brevissima voluptatula, procul dubio valde stultum esset; stultius autem esset exponere se hac ratione periculo ardendi per decem annorum millia; multo iterum ac multo stultius per centum millia; exponere igitur se periculo pro re tantilla ardendi per omnem æternitatem, an non erit insania infinita? *Post tantillam voluptatem tam gravis miseria!* Bern. ad fr. de Monte DEI. Tu dicis: cogitationem seriam & attentam de æternitate, posse hominem redigere ad insaniam. Erras; cogitatio ejusmodi potest amentes ad mentem revocare.

Eſt

*Est inevitabilis.*

**C**onsidera, quòd si ista perpetua successio seculorum in Inferno posset admittere aliquòd lenimen ex varietate, futura esset tolerabilior : at quomodo tolerari poterit, cum eadem semper & immutata esse debeat in tormentis? Manna in deserto etsi omnem contineret varietatem saporis, nihilominus nauseæ cœpit esse Populo Hebræo, quia semper erat idem. *Nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man. Num. 1. 6.* Factum autem est hoc Populi murmur secundo itineris per desertum anno, ut Interpretes volunt: *V. Cornel. ib.* Quid igitur futurum fuisset post annos quadraginta, post seculum integrum? Infelices Peccatores! Æternitas illa, quæ vos expectat, si vos vocaret ad convivium cum iisdem semper fereulis, talem sui nauseam moveret, ut vos impelleret ad desperationem. Qualis igitur erit vestra desperatio, dum vos expectat æternitas in loco omnium tormentorum, semper eadem cum iisdem cruciatibus? Vos, quibus molesta est concio non varia, imò & Comœdia, quæ caret episodis, quomodo tandem transigetis æternitatem in iisdem miseriis, sine lenimine, sine mutatione, sine refocillatione? Qui Zonæ torridæ subiecti sunt, diurno tempore rectis Solis radiis non parum aduruntur; nox illis calores plurimum mitigat. Ager aliquis dormitat saltem tantisper, & tunc omnium suarum molestiarum obliviscitur: nec est vel animi, vel corporis vulnus ullum tam doloriferum, quod tempore non mitigetur. At pro Damnatis spes istæ omnes vanæ sunt: subiecti erunt non radiis, sed fulminibus divinæ Iustitiæ, nec veniet unquam aut nox, aut somnus, aut tempus,

II.

pus, quæ vulnera eorum mitigent. Atque utinam saltem  
 miseri decipere possent seipsos, & sibi persuadere, ventu-  
 ram aliquando illam mitigationem, etsi reipsa ventura  
 nunquam sit! Sed ne istud quidem possunt: vult enim  
 DEUS, ut perpetuò eorum oculis obversetur sententia æter-  
 næ damnationis, characteribus exarata, quos nec æterni-  
 tas deleat, quin ab ea vel tantillum animum aliò avocare  
 possint: *Ut videant semper. Dan. 11.* Hinc si cuilibet una  
 hora in doloribus dies videtur, quàm longæ infelicibus vi-  
 debuntur miseræ, nunquam per infinita secula interpola-  
 tæ? Non solùm patientur miseri per æternitatem, sed ipsam  
 patientur æternitatem; cùm enim hæc semper ante mentis  
 oculos constituta sit, identidem eos toto suo pondere op-  
 primet, eâ omnino ratione, quâ sphaera immensa ex ære  
 totâ suâ mole perpetuò opprimet planum, cui insistit. Quid  
 quòd sæpe plus affligit timor mali imminentis, quàm i-  
 psam in se malum: *Peior est bello timor ipse belli:* & idcirco  
 dicere oportebit, quòd non solùm æternitas quovis mo-  
 mento Damnatum oppressura sit, sed quòd momento quo-  
 libet mutetur in plures æternitates: *in perpetuas æternita-  
 tes.* Nam si malum est inevitabile, & expectatio certissi-  
 ma, necesse est ut timor omni carnifice sævior anticipet  
 & duplicet cruciatum quovis momento. Tu hæc legendo  
 coherrescis; & tamen non horres peccare? si ita est,  
 horres præcipitium depictum, & non times te præ-  
 cipitem agere in verum.



## Est Justa.

III:  
**C**onsidera, homines dum semper ad rationis humanæ  
 libram ponderare volunt omnia, nonnunquã hæere  
 attonitos: quòd DEUS brevi hominis culpæ decreve-  
 rit pœnam ignis sempiternam: id enim ipsi neque cum divina  
 Bonitate, tam nostram imbecillitatem miserari solitã, ne-  
 que cum divinã Justitiã, quæ in puniendo modum tenet, in  
 animo suo conciliare possunt. Non tamen est miranda  
 hominum hujus seculi admiratio, quæ tota fundatur in  
 ignorantia rerum spiritualium. *Animalis homo non perci-  
 pit ea, quæ sunt spiritus DEI: stultitia enim est illi, & non  
 potest intelligere. 1. Cor. 2.* Si Peccatores assequerentur  
 malitiam peccati sui, mox istum stuporem suum mutarent  
 stupore alio magis insolenti. Nunc stupent, quomodo  
 DEUS culpæ uni soli parârit Infernum æternum: tunc  
 autem stupent, cur non pro omni transgressione plures  
 Infernos destinârit, & cumulum tormentorum septies  
 atrociorum. Rectè hanc veritatem intellexit S. Augusti-  
 nus, dum asserit, miseriam Damnatorum æternam esse,  
 quia sic respondet malitiæ ipsorum. *Nunquam esset Da-  
 monum æterna miseria, nisi esset magna malitia. De Civit.  
 l. 9. c. 13.* Perpende igitur, noxam quamlibet mortife-  
 ram, cùm sit vel tacitus, vel manifestus contemptus vo-  
 luntatis divinæ, esse injuriam DEI. Crescit autem omnis  
 injuria ex duplici capite, magnitudine scilicet ac dignita-  
 te offensi, & vilitate offendentis: unde cùm infinita sit di-  
 gnitas & Majestas DEI, summa è diverso nostra vilitas, con-  
 sequens est, ut injuria, quã illum afficimus, sit quodam-  
 modo infinita; sitque abyssus malitiæ magis detestabilis,  
 quàm essent infinitæ injuriæ illatæ creaturis infinitis. Qua-  
 re cùm

H

re cùm

re cū p̄na respondere debeat culpæ ad r̄parandum ordinem violatum, debet ipsa quoque esse infinita; & quia non potest esse infinita in intensiōe, cū ejus creatura capax esse non possit, necesse est ut sit infinita in extensiōe, & in omne ævum duret.

Hæc eadem veritas meliùs etiam cognoscetur, si consideretur, quòd malignitas peccati tam extra omnem orbitam vagetur, ut vinci non possit, nec pro ea fieri satis omnibus operibus bonis rerum conditarum omnium, & quòd idcirco necessarium fuerit, ut ad satisfaciendum isti debito DEI Filius suis è venis divini sanguinis thesaurum appenderet tanquam pretium justum. *Less. de perf. div. l. 13. n. 183.* Jam malum, quod compensari non potest actionibus virtutum, quantocunque tempore exercitarum ab hominibus, rectè meretur p̄nam omni tempore longiorem, & ideo æternam. Sic Magnus iste Dominus nunquam potest contemni, nisi ab insanis: cū si p̄na debita ejus offensoribus aliquando finiretur, contemni posset à cujuslibet judicio & sententiâ: siquidem, *quod æternum non est, nihil est.* Quod per unam integram æternitatem nihil erit, etiam nunc pro nihilo reputari potest. Sic differit, quisquis per Bonitatem in DEO intelligit non stolidam aliquam non curantiam mali; ut stultè illam sibi fingunt Peccatores; sed per Bonitatem intelligit Sanctitatem infinitâ & illimitatâ quâdam ratione pugnantem cum peccato, quæque infinito odio illud prosequitur, quod non potest non prodere, sed debet vindicare ipsum p̄nâ respondente, quæ nimirum finem nesciat. Atque ita etiam res ponderat, qui balance utitur divinæ Justitiæ, quæ falli non potest, non autem ponderibus mendacibus Mundi, de-

di, decepti perinde ac decipientis. Perpende proin, Lector mi care, quàm prodigiosum malum sit noxa mortifera, dum suis quasi in visceribus continet æternitatem miseriarum; sic ut si oculis mentis tuæ penetrare posses & pervadere in illum sinum profundum & malignum, videres intus semina æterni ignis, luctus æterni, æterni carceris, æterni fœtoris, æternæ pœnitentiæ, æternæ desperationis, æternæ jacturæ omnium bonorum. Cuncta hæc uno in peccato continentur, etiam si tantillo tempore duret, sicut in ovo tam parvo Basilisci continetur tota venenatissima progenies, & in illa mors multiplex. Interim hoc est Infernus, aut ut rectiùs dicam, nihil horum est Infernus, sed malum infinites majus, quàm à nobis explicari possit; & quod nihilominus toties geminabit suum rigorem, quàm multa sunt peccata, quæ Anima secum feret in illam *terram miseriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Job. 10. v. 12.* An tu unquam seriò cogitasti de his veritatibus? *Intellexisti hæc omnia? Matth. 17.* Si cogitasti, quomodo fieri potest, ut pro tam turpi, tam brevî voluptatulâ peccando cum risu præcipites temet in illam abyssum culpæ & pœnæ, quam post se trahit sequelâ legitimâ? Ah! *non intellexisti hæc omnia, non intellexisti.* Cogitasti obiter, sed non intellexisti. Quod si ne nunc quidem cogitas, quid agis tandem? *Quid tu sopore deprimeris? surge invoca DEUM tuum. Jonæ 1. v. 16.* Quomodo dormis in statu naufragij tam propinqui? cum tamen malum, si verisimile duntaxat esset, & non fide certum, attonitum te deberet reddere omni momento. Age, nulla non die ora DEUM tuum, ut te liberet; propera ad Confessionem; horre pravorum Societate



cietatem, fuge peccandi pericula; crebrò divinis Myſte-  
riis utere; opera pœnalia exerce: exi, ſi neceſſe eſt, etiam  
ex Mundo, ut ſerves Animam tuam. Tandem nunquam  
poſteſt nimia eſſe cura, quæ ponatur in æternitate in tuto  
collocanda. *Nunquam poſteſt eſſe nimia ſecuritas, ubi peri-  
clitatur Æternitas. Bern. apud P. Lazarum Duſſier in Ser.  
Advent.*

### Oratio.

*Ad Sanctiſſimam Virginem, ut æternam nobis Salu-  
tem obtineat.*

**O** Mater pietatis benigniſſima, ſicut nulla creatura pro-  
piùs refert perfectiones incomprehenſibiles divini  
Filij tui, ita nulla ad ipſum propiùs accedit miſerati-  
one. Imitaberis ergo illum, qui eſt totus Caritas, totus  
miſeratio erga Peccatores, ſi ſubvenies mihi miſero in ſum-  
ma mea miſeria, liberando me ex abyſſo meorum peccato-  
rum, & à damnatione, quam tot titulis promerui. Scio  
quantopere etiam res tua agatur, dum agitur de Gloria  
ejuſdem Filij tui, & quòd cupias, ut hæreditas Animarum  
ab ipſo redemptarum ſit copioſa, & fructus diviniſſimi San-  
guinis ejus augeatur; & idcirco ad te omni cum fiducia  
confugio, cum ſim certus, quòd non ſis omiſſura preces  
tuas pro illo interponere, pro quo Dominus meus JESUS  
Chriſtus ipſam adeò vitam profudit. Quid me futurum  
eſſet, ſi damnarer ad ignes æternos, ad non videndam in  
æternum faciem tui & mei DEI; ad illum & te præterea,  
habendos pro inimicis? Ah! nunquam iſtud contingat.  
*A morte æterna libera me Domina. O Magna Domina, im-  
petra*

petra mihi ut sim liber à tam tremenda sententia: nihil mihi & meis precibus tribuatur: nec enim dignus sum: sed totum detur precibus tuis & meritis, vulneribus, & morti Servatoris mei. Tu nobis ab ipso ad Crucis pedem relicta es Advocata, & Mater: Da igitur veniam, ut sic te alloquar: Adimple partes tuas; *Monstra te esse Matrem*: resonet vox tua in favorem mei, & sufficit mihi: pone me sub pallio protectionis tuæ, & sum securus. Impetra mihi ne unquam peccato mortifero me obstringam, sed fideliter ad extremum usque spiritum serviam meo Creatori, & Redemptori, ut frui illo possim in æternum, & cum omnibus Sanctis in Cælo compensare obsequia, quæ in hac vita tam ignavè omisi. Amen.



IN-



# I N D E X

## Confiderationum.

*Confid. I. die Dominica.* Carceris Inferni Angustia,  
Tenebræ, Fœtor.

*Confid. II. die Luna.* Ignis Infernalis Qualitas,  
Quantitas, Elevatio.

*Confid. III. die Martis.* Societas Damnatorum, Dx-  
monum, Complicum in peccato.

*Confid. IV. die Mercurij.* Pœna Damni Infinita, Sum-  
mi doloris, debita Peccato.

*Confid. V. die Jovis.* Vermis Conscientiæ. Memoria  
gaudiorum præteritorum, Pœnitentia fera, Occasiones  
neglectæ.

*Confid. VI. die Veneris.* Desperatio propter Pœna-  
rum extensionem, intensionem, & earum comparationem  
cum Gloria.

*Confid. VII. die Sabbati.* Æternitas Pœnarum Inter-  
minabilis, Inevitabilis, Justa.

A. D. Gl, Et Animarum Salutem,

